M

14.25.H.5.


Et tuam ipsius Animam pertrãsibit gladius. Luc. 2.

Protector

Comprotector




Sicut Socij Passionum estis,
sic eritis et Consolationis.




VRBANVS PP. VIII.

…TECA NAZ… ROMA




D perpetuam rei memoriam. Aliàs pro parte dilecti filij Angeli Mariæ Berardi Prioris Generalis Fratrum Ord. Seruorum B.M.V. Nobis exposito, quod pro reformatione, correctione, declaratione, seu interpretatione Constitutionum dicti Ordinis fuerãt ex decretis plurium Capitulorum Generalium Ordinis huiusmodi ab Anno 1580. ad Annum 1633. celebratorũ collecta nonnulla, & in vnum redacta, per Patres Diffinitores Capituli generalis eiusdem Ordinis dicto Anno 1633. celebrati, & postmodum per chirographum vniuscuiusq; Patris vocalis eiusdem Capituli generalis approbata, & deinde etiam reuisa, & approbata per nonnullos S.R.E. Card. pro firmiori verò decretorum huiusmodi subsistentia ipse Angelus Maria Prior Generalis cupiebat illa Apostolicæ confirmationis robore communiri; Nos decreta huiusmodi de mandato nostro prius examinata, & reuisa, vt præfertur, Apostolica auctoritate confirmauimus, & aliàs prout in nostris in simili forma Breuis desuper expeditis litteris, quarum tenore præsentibus pro expressis haberi volumus, vberius continetur. Cum autem sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis suo, & eiusdem Angeli Mariæ Prioris Generalis dictique Ordinis nominibus Nobis nuper exponi fecit, necesse fuerit decretorum, seu constitutionum huiusmodi nonnullas particulas mutare, vel alterare, seu eis aliquid addere, prout continetur in scriptura, quæ sequitur, videlicet in cap. 11. titulo de promouen. ad Ord. folio 32. linea 7. & in eis vtiq; additum est in eis vtiq; absentia Diœcesani Episcopi, vel quod ordinationes, vt præfertur, nondum

 ✣ ha-



habeantur, exprimere teneantur. In cap.14. tit. de promouen. ad gradus folio 41. linea 16. additum est iuxta suas facultates vsu receptas, & additum est, promotis verò duobus iuxta litteras apostolicas Innocentij VIII. per Generalem in Cap. generali ad Magisterij gradum. In cap.24. tit. de administratione bonorum fol. 58. lin. 26. additum est, ex redditibus tamen dictorum bonorum valeant, & possint Superiores Religionis necessitatibus religiosis eorū subuenire, quorum intuitu venerat capitale. In cap.25. tit. de qualitatibus, & potestate Generalis fol. 62. lin. 4. additum est, quatenus aliter Cap. generali non videatur. In cap.35. tit. de grauiori culpa fol.88. lin.6. additum est, sine licentia Superiorum, si charitas erga proximos aliter non suadeat, remoueatur à Conuentu in quo erit per annū. In Cap.40. tit. de Cap. Conuentuali fol.111. lin.6. mutata est dictio indirecta, & apposita, indebita, & lin.18. additum est, prohibitusq; remaneat omnis fauor laicorum, & clericorū ad quemcunq; effectum, iuxta decretum fœl. rec. Clementis VIII. In cap.41. tit. de Cap. Prouinciali fol.119. lin.19. deleta fuere verba de consensu Generalis. In cap.43. tit. de Constitutionibus fol.126. lin. 23. deleta sunt verba illa, dummodo non adsit contemptus, vel transgressio in consuetudinem non transeat. Proindeq; ipse Procurator Generalis nouissimè mutata, alterata, sublata, & addita, vt præfertur, respectiuè, etiam reuisa, & approbata per dilectum filium nostrum eiusdem Ordinis Card. Protectorem, aliosq; S. R. E. Card. nostræ Apostolicæ confirmationis patrocinio pariter communiri summoperè desideret, Nos eundem Procurat. Generalem specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodatus



tus

tus existat, ad effectū præsentium duntaxat consequen. harum serie absoluen. & absolutum fore censen. supplicationibus ipsius Procurat. Generalis nominibus, quibus supra Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, mutata, alterata, sublata, & addita nouissimè in prædictis decretis, seu Constitutionibus Ordinis huiusmodi, prout in præinserta scriptura continentur, & notantur Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisq; inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos tam iuris, quā facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus, decernentes prædicta sic mutata, alterata, sublata, & addita ab omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus inuiolabiliter obseruari, sicq; per quoscunq; Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores vbique iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit, attentari. Non obstan. omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem litteris voluimus non obstare, cæterisq; cōtrarijs quibuscūque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 15. Octobris 1643. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

M. A. Maraldus.

IVLIVS TIT. S. SVSANNÆ S. R. E. Presb. Card. Sacchettus, & Religionis Seruorum B. M. Virg. Protect.

Vniuersis eiusdem Ord. Fratribus salutem in Domino.



EA humani generis conditio est (Fratres charissimi) vt benè res suas vel difficulter instituat, vel sic institutas, rectiùs postmodum disponendas, decursu temporis plerumq; agnoscat. Hinc priscæ Constitutiones, quibus Religiosam viuẽdi rationem Veteres Patres vestro Ordini præscripsere, non immutatæ, sed ex diuersis tàm vestris Capitularibus, quàm Apostolicis declarationibus auctæ, & dispositæ, in recẽtem hanc, & meliorem formam impenso studio compilatæ in lucem prodeunt. Incumbite, Dilectissimi, moribus, & animis in nitidiorem cultum cum ipsa Regula efformandis; vt Virgo illa, cui mortali in exuuie per seruitutem estis coniuncti, pronior dignetur Vos suæ participes gloriæ in cælestem Patriam euocatos, suos seruos agnoscere, & declarare.

Datum Romæ 10. Maij 1642.

I. Card. Sacchettus Protector.

Capitulorum Conſtitutionum Index.

F I N I S.

REGVLA
BEATI PATRIS
AVGVSTINI
ET
CONSTITVTIONES
Fratrum Seruorum.



BONONIÆ M.DC.XXXXIII.
Typis Io. Baptistæ Ferronij. Superiorum permissu.


F. PROSPERI FLORENT. SERVITÆ BACCALAVREI


CARMEN.

MInos, Zamolsis, Draco, Lycurgus, Iacob,
Cretenses, Scythiam, Athenas, Lacedæmona, Seruos
Instruxit, domuit, rexit, decorauit, adauxit
Legibus, & sacris populos rexere decretis
His, vt seruatis stellantis scandere Cæli
Sidera fas esset nitido Diademate comptos.
Qui cupit ergo celer rutilũ cõscēdere Olympũ,
Festinet parere libens his legibus ipse,
Quas Pater hoc sanxit libro Venerãdus Iacob.
Addidit hic plura, & breuius, meliusq; resarsit
Singula delecto, perpulchroq; ordine ponens,
Quæ Patres vario pridem instituere vetusti.

PRÆFATIO

In Regulam, & Constitutiones Fratrum Seruorum R. P. F. IACOBI TAVANTHI Florentini, Generalis eiusdem Ordinis.





VEMADMODVM quędam sunt, quæ nulla possunt vnquam humana ratione conuelli, vt diuina Dei pręcepta, ac adeo quęcunq; etiam, quæ in illis radicitus continentur, vel ab eisdem tanquam à fæcundissimo, ac vberrimo fonte emanant, & multa, quæ pro necessitate temporum, aut cōsideratione ætatum, loco, persona, & negotio temperari oportet. Ita Seruorum Ordo sub protectione B. MARIÆ Virg. Deo militās secundum Regulam B. P. Augustini, hanc ipsam incōcussam semper, ac stabilem habuit (si quidem in charitate Dei, & proximi sita est) nullaq; temporum perturbatione iam per trecentum viginti septem annos aut rerum, locorum, personarumque vicissitudine mutata est. At verò nostri instituti Constitutiones, & veterum Patrum nostrorum statuta,

quanquam diuerso quidem calle ad vnum, eundemque Beatitudinis gradum nos perducere contendant, tamen in dies, Deo salutis semitas clariùs edocente, & gressus nostros in viam pacis benignè dirigente, temporum successione, & Religionis nostræ senescente ætate (agit enim iam quadraginta & octo supra tercentum annos) quoquo modo mutationem aliquam sortitæ sunt. Neruus verò earum semper inconcussus permanens nunquam emarcuit: nam quod ad Regularem vitam pertinet, quod ad edomandam carnis concupiscētiam orationibus, & vigiliis, quod ad compositionem morum, quod ad fugam sæculi spectat, stabile, firmumq; fuit. Quod verò imbecillitas humana non suffert, quod temporum calamitas vrget, quod hominum improbitas cogit, quod morum perturbatio requirit, mutatum est. Quamobrem nouæ profectò omnino non sunt, quas nunc præ manibus obseruandas habemus, Constitutiones, & nouæ quodammodò dici possunt. Nam quatenus in eis illa vetus Religionis, & Sanctorum Patrum nostrorum pietas viget, permanet charitas, ac vitæ æternæ perpetuatur scopus, quòd seruiamus Deo sub Dei Genitricis patrocinio, quòd mundum, & quæ in eo sunt, relinquamus, quòd nos ipsos mutua charitate complectamur, quòd ad Altare Christi inter Deum, & homines stemus, in his antiquissimum est Constitutionibus: ideò nullis nulla nouitas; sed sanctissima, & imperturbata viget vetustas. Verum ex temporum, rerum, locorum, ac perso-

na-

narum varietate aliquid noui in eis cognoscimus. Accipit sanè Ordo Seruorum à Sanctissimis illis primis Patribus constitutiones multas pro eorum bona voluntate, vt omnia secundum ordinem fierent, equum est etiam, vt credamus posteriores, qui conati sunt, aut quippiam ex illis abrogare, aut noua quedam statuta condere, id pari, bonaq; voluntate fecisse, vt Deo seruirent, Catholicæ Ecclesiæ obsequium præstarent, vt nos viam Dei docerent, vt tandem secundum exigētiam, & temporis, & loci gregi sibi commisso opem ferrent. Quemadmodùm iam decem ab hinc annis has nostras leges sapientissimis predecessoribus nostris (iustas quidem ob causas) innouare tentatum est: Sed nescio quo casu (nisi dicam Dæmonis, cui omnia Deo grata summopere displicent) id nunquam consequi potuerunt. Annuit tandem Deus Pater consolationis, & misericordiæ, & mater B. Dei genitrix Virgo Maria, vt in Comitijs Generalibus Parmæ celebratis 26. Maij anni 1579 ab ijs, qui vniuersæ, ac totius Religionis onus, & maiestatem sustinebant, eligerentur ex numero prudentissimorum, qui tunc aderant, tres viri, qui ingenio, sapientia, doctrina, & rerum gerendarum prudentia possent non solum instaurandarum legum, sed instituendarum etiam munus suscipere: Proinde selecti fuerunt R. P. Prouincialis Lombardiæ Mag. Alexander de Scādiano, R. P. Prouincialis Venetiarum Mag. Paulus Venetus, & R. P. Socius Prouinciæ Romādiolæ Mag. Cyrillus de

Bononia, qui ad finem Iunij ad Vrbem venerant, vt vna nobiscum, & cum Reuer. P. M. Antonio de Burgo Sancti Sepulchri Procuratore in Rom. Curia commissum sibi negotium absoluerent, atq; summa cum charitate primùm ab Illustriss. & Reuer. D. D. Alexandro Episcopo Portuensi, & Sanctæ Rufinæ, S. R. E. Vicecancellario Card. Farnesio nuncupato, totius nostri Ordinis Protectore; mox post eiusdem ab Vrbe discessum ab Illustriss. & Reuer. D. D. Iulio Antonio, TT. Sancti Bartholomæi in Insula, Presbytero Cardin. Sanctæ Seuerinæ nuncupato Viceprotectore, admoniti, vt Reipublicæ nostræ bono, honori, & maiestati essent intenti, & Regularia hæc nostra instituta, ne latùm quidem vnguem declinare permitterent, deinde per nos à Sanctissimo D. N. D. Gregorio Papa XIII. benedictione accepta, tam salubre opus omni cum studio, & charitate pertractare cœperunt, vt Constitutiones nostri Ordinis Sanctissimis Tridentini Concilij sanctionibus, vt Reformationi, vt vnioni totius nostri Ordinis, qui priùs erat in duas familias diuisus, per fœlic. record. Pium Papam V. factæ, vt & nouæ etiam duarum Prouinciarum Venetiarum, Mantuæ institutioni consonas facerent. Sed statim, vt opus Deo, & bonis omnibus pergratum cœptum est, vehemens supra, quàm dici possit, insurrexit ab Aquilone procella, vt quandoque prædictis Patribus, in animum venerit, & ab incepto desistere, & ab Vrbe discedere: hinc factum est, vt

lon-

longiori temporis interuallo Romæ detinerentur maximis expensis, & media æstate ardente Sole grauissimis tum corporis, tum animi laboribus. Quæ omnia, vt euitarent, & propriæ saluti consulerent, formularium literarum patentium, quibus vterentur omnes nostræ Religionis Præfecti, non ediderunt; ne eisdem præmerentur angustijs, quibus agitabãtur in corrigendis Constitutionibus. Officium quoq; B. Virg. Mariæ in die Sabbati recitandũ non confecerunt, cum omnino nobis præceptum fuerit, vt diuina celebraremus, secundum ritum S. R. E. Breuiario, & Missali vtentes reformato. Mare magnum iterum imprimendum non curauerunt, ne maioribus grauaretur Religio expensis. Vt Prouincia Regni Neapolitani tria vota in Generalibus Comitijs haberet, atque vt Socius Generalis in omni Prouincia posset quandoque esse, etiam is, qui non est Magister, statuerunt: nedum pro communi pace Religionis, sed etiam sapientissimo, ac prudentissimo consilio Illustriss. & Reuerendiss. Dom. Protectoris, & Viceprotectoris. Reliqua verò omnia multo studio, cura, industria, iudicio, & sudore vtentes, corrigendo, declarando, & ad abusus tollendos aliquid addendo ita disposuerunt, vt tandem per 43. Cap. omnia complecterentur. Quæ quidem accuratè, & exactè diligenti opera, calamoque sapientissimo, Summi Pontificis iussu recognita, castigata, atque semel, & iterum correcta ab Illustriss. & Reuer. D. D. Iulio Antonio Presbytero Cardin. Sanctæ

Se-


Seuerinæ Viceprotectore, & ab eodem Card. Sanctiss. D. N. D. Gregorio PP. XIII. præsentata, viuæ vocis oraculo primùm, deinde per literas Apostolicas in forma Breuis Pontificiam confirmationem, & robur acceperunt, quod tanquam sanctissimè factum benignè suo decreto comprobauit Illustriss. & Reuerendiss. D. Card. Farnesius Protector. Has ergo Constitutiones omnes boni, à prædictis Patribus, quibus hæc cura demandata fuerat, atque adeò ab ipsa illorum matre Religione, cuius sunt filij professione, & voto, correctas, castigatas, reuisas, Sanctiss. Eccl. & Sanctorum Patrum decretis consonas, & primis nostri Ordinis institutis non repugnantes ab Illustriss. & Reuerendiss. Protectore approbatas, à Sanctissimo, Summoq; Pontifice confirmatas, æquo animo accipient. In illis enim (quod est optimæ legis proprium) præcipitur bonum, promittitur virtuti præmium, prohibetur transgressio, punitur malum, continent in se (quod est legis bonæ qualitas) honestatem, iustitiam, possibilitatem, & conuenientiam. Quæ Constitutiones si cuipiam fortasse non probentur omnino, hic quæsò audiat & Isidorum, & Gratianum dicentes. Sciendum est, quod pleraq; Capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore consideranda sunt, quorũ modi, quia medullitùs non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impinguntur, cum ante iudicant, quàm intelligant, ante inculpant, quàm iterando lecta perquirant.

FR.

FR. ANGELVS MARIA Berardius Perusinus

Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Seruorum B. Mariæ semper Virginis sub Regula S. Augustini Prior Generalis.

Dilectis in Christo Patribus, ac Fratribus sui Ordinis salutem in Domino.




AD supremum in hac Deiparę Virginis familia munus auctore Deo optimo maximo ab Vrbano Octauo Pontificum Maximo promoti, ab ipsis officij nostri primordijs præcipuas sēper nostras partes duximus, eā aliquibus, qui forte irrepserant, abusibus labefactatam in pristinum candorem, vt præsentia tamen ferunt tempora, reuocare. Cernimus enim, nec sine magno doloris sensu cernimus, nō parùm à pijs sanctitatis vestigijs, illibatęque vitæ moribus superiorum nostrorum Patrum recessisse, in diesque recedere magis sodales nostros; siue id accidat generis vitio decliuis semper in peius, siue temporis edacitate, cuius tacito dente illi etiam pereunt labores, quos mortales agressi ab ipsius cæli temporisq; iniurijs immanibus turrium fastigijs commendauere tutādos. Quod si marmora, & calybes temporis corroduntur edacitate; quantò magis humanum ingenium à comparata sibi studijs, vigilijsque morum probitate paulatim degenerabit in vitia? Nimirùm & Aquilę fortissimę imbelles progignunt columbos,

& tellus ipsa, nisi sedula cultoris accedat industria, facilè siluescit in frutices. Et illud quidem, vt legum obliuione consenescit, sic earundem restauratione reddita quasi iuuentute reuirescit. Hinc regnorum, rerumq; publicarum Principes, ac Primates coeunt in cōcilia, in comitia cogūtur, instituunt conuentus, vt imperij collabentis moles noua legum institutione firmetur, ac fulciatur. Atque eadem nos quoque, quorum vigilantię publica Sodalium credita est salus, eadem (inquam) nos quoque hortata fuit ratio, vt Seruorum Deiparæ Virginis familiam ipsamet Virgine patrocinante toto conatu, & viribus vel prohiberemus à lapsu, vel collabētem sustineremus, vt præsentes ederemus instauratas Cōstitutiones, quæ nō tam nostræ, quàm Patrum omnium huiusce nostræ familiæ doctrina, ac prudentia præstantium hac de re plurimis generalibus habitis comitijs sunt elucubrationes; in quibus quà instaurandis, quà declarandis eorum potissimùm desudauit industria, qui comitijs interfuere generalibus Anno 1625. & 1633. celebrātis. Inter quos primū fortasse tenēt locum Reuerēdiss. PP. M. Philippus Ferrarius ab Alexandria, M. Henricus Antonius Burgos è Castro nouo, atq; Adm. RR. PP. M. Felicianus Penna Perusinus, M. Nicolaus Cæ Cremonensis, quorum sapiētiæ Generalium Comitiorum anni 1625. auctoritate tanta instaurandarum Constitutionum moles incubuit. Has autem leges Sanctiss. Dominus nostris annuens votis, patriæ Apis non oblitus sedulitatem, quam nos solertiam, si vlla in nobis est, illi referimus acceptam, Eminentiss. ac Reuerendiss. DD. D. Marcello de Lante, D. Iulio Sacchetto, ac D. Francisco Mariæ Brancaccio S. R. E. Cardd. examinandas, ac diligenter inuestigandas tradidit, qui cum matura diligentia singulas perlustrassent, eas vnanimi consensione probauerunt: qua in re egregiam nauauit operam Illustriss. ac Reuerendiss. D. D. Marcus

cus


cus Aurelius Maraldus Vtriusq; Sig. Refer. ac S. D. N. Vrbani VIII. Breuium Secretorum Secret. & aliqua adhibitâ castigatione Sanctitati eas obtulit suæ mira concinnitate cõpaginatas; qua denique annuente, & imperante prodeunt aliquando tandem in lucem. Iam verò non hîc ego pluribus persequor hortando vos Sodales optimi, siuè eos, quos non tam auctoritas nostra, quam vestrum cuiusque virtus Cœnobijs præfecit, & Prouincijs, vt non vocis contentione modò, sed illustri etiam exemplo, quod efficacius hominum mentes percellit, ac tangit, legum harum suadeatis obseruãtiam; siue reliquos, qui alienę volũtati religioso paretis obsequio, vt singulari æmulatione moribus exprimatis, quæ hisce imprimuntur in paginis. Meminerimus enim, à qua nomen ducimus, & originem: meminerimus, quæ Virgini, quæ Deo promissa dedimus, dum in multiplicis Sacramenti verba iurauimus: meminerimus, quod ex præscripto Diuinitatis monemur, *sic luceat lux vestra coram hominibus*, quorum spectaculum facti sumus, *vt videant opera vestra bona*. Hæc scilicet sunt vota mortalium, hanc de nobis præcepit animo spem orbis terrarum, dum Sanctissimum illud Seruorum Virginis nomen auribus excepit, vt absolutã sanctitatis formam, quam abiunctam à sensibus animo concoquere non potest, positam à nobis in exemplo possit. Hanc verò subiectam oculis faciemus luculentiùs religiosa Constitutionum harum obseruantia; quæ eò minus ardua nobis futura erit, quia, quæ maiorem facere videbantur difficultatem, vel deleta sunt penitus, vel plurimùm moderata. Eam interim dum integram vobis auguror, ad publicam fœlicitatem, & commodum diutiùs vos valere iubeo.



REGVLA
S. AVGVSTINI
EPISCOPI.



De vnione custodienda, & pace seruanda in Religione. Cap. I.



NTE omnia Fratres charissimi diligatur Deus, deinde proximus; quia ista præcepta sunt principaliter nobis data.

Hæc igitur sunt, quæ vt obseruetis, præcipimus in Monasterio constituti.

Primùm, propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo: & sit vobis cor vnum, & anima vna in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur vnicuique vestrum à Præposito vestro victus, & tegumentum, non æqualiter omnibus; quia non æqualiter valetis omnes; sed potius vnicuique, sicut cuique opus

fuerit. Sic enim legitis in actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique, sicut cuique opus erat.

Qui autem aliquia habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt; sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur; etiam si paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Tamen non ideo putent se esse fœlices, quia inuenerunt victum, & tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt. Nec erigant ceruices quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant; sed sursum cor habeant, & terrena vana non quærant, ne incipiant Monasteria diuitibus esse vtilia, non pauperibus; cum diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Rursus etiam illi, qui aliquid videbantur esse in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad istam sanctam societatem ex paupertate venerunt. Magis autem studeant non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt. Nec de suis diuitijs magis superbiant, quia eas in Monasterio partiuntur, quàm si eis in sæculo fruerentur. Alia quippè quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant; superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant. Et quid prodest disper-

gen-

gendo dare pauperibus , & pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo quàm fuerat possidendo? Omnes ergo vnanimiter, & concorditer viuite, & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti estis.

De Oratione & Ieiunio. Cap. II.

O*Rationibus instate horis, & temporibus constitutis. In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit. Vt si forte aliqui, etiam præter horas constitutas (si eis vacat) orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agẽdũ putauerint. Psalmis, & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore, & nolite cantare, nisi, quod legitis esse cantandum. Quod autem non ita scriptum est, vt cantetur, non cantetur. Carnem vestram domate ieiunijs, & abstinentia escę, & potus, quantùm valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest ieiunare; non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat; nisi cum ægrotat. Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentionibus audite; ne solæ vobis fauces sumant cibum; sed & aures esuriant verbum Dei.*

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet alijs molestum esse, nec

inu-

iniustum videri eis, quos aliqua fecit consuetudo fortiores. Nec illos fæliciores putent; quia sumunt, quod non sumunt ipsi: sed sibi potiùs gratulentur quia valent, quod non valent illi.

Et si eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorumue datur, quod alijs fortioribus, & ideo fælicioribus non datur: cogitare debent, quibus non datur, quantum de sua sæculari vita illi ad istam descenderint, quamuis vsque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire non potuerint.
Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius (non quia honorantur, sed quia tolerantur) accipere, ne contingat detestanda peruersitas, vt in monasterio, vbi quantùm possunt, fiunt diuites, laboriosi, fiant pauperes delicati. Sanè quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, ne grauentur; ita & post ægritudinem sic tractandi sunt, vt citius recreentur: etiam si de humillima sæculi paupertate venerint: tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo. Sed cum vires pristinas reparauerint, redeant ad fæliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tantò amplius decet, quantò minus indigent; ne cibi eos teneant voluptas tam vegetatos, quos necessitas leuarat infirmos. Illos sanè extiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores; melius est enim minus egere, quàm plus habere.

De

De multiplici honestate seruanda in habitu, incessu, societate, moribus, & correctionibus. Cap. III.

NON sit notabilis habitus vester. Nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Quando proceditis, simul ambulate: Cum veneritis, quò itis, simul state. In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem.

Oculi vestri, etsi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur: Neq; enim, quando proceditis, fœminas videre probibemini; sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum est. Nec solo tacito affectu, sed affectu quoque, & aspectu appetitur, & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Et cum se inuicem sibimet (etiam tacente lingua) conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore; etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & illius in se diligit fixum, ab alijs se non videri, cum hoc facit, videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur. Sed, etsi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspe-

spectare, quem latere nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tantò videt patientiùs, quantò sapientiùs? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit feminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illius nanque & in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum. Quando ergo simul estis in Ecclesia, aut ubicunque fœminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis. Et si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne mala cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem post admonitionem iterum, vel alio quoque die id ipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat, quicunque hoc potuerit invenire. Prius tamen & alteri, vel tertio demonstrandum, ut duorum, vel trium possit ore convinci, & competenti severitate coerceri. Nec vos iudicetis esse malevolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod velit occultari, dum timet secari, nonne crudeliter à te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde? Sed antequam alijs demonstretur, per quos convincendus est,

 si ne-

si negauerit, prius Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi: ne forte possit secretiùs correctus non innotescere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij (etiam coràm omnibus) vt possit non ab vno teste argui, sed à duobus, vel tribus conuinci. Conuinctus verò secundum Præpositi, vel etiam Presbyteri (ad cuius dispensationem pertinet) arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam. Quam si ferre recusauerit (etiam si ipse non abscesserit) de vestra societate proijciatur. Non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, iudicandisq; peccatis diligenter, & fideliter obseruetur cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Quicunq; autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, si hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur, atque conuincitur, secundum arbitrium Præpositi, vel Presbyteri, grauius emendetur.

De custodia indumentorum, & pietate infirmis exhibenda. Cap. IIII.

VEstes vestras in vnum habeatis sub vno custode, vel duobus, vel quot sufficere possint ad eas excutiendas; ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex

vno

vnâ cellario; sic induamini ex vno vestiario. Si fieri potest, ad vos non pertineat, quòd vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, verum hoc recipiat vnusquisque, quod deposuerat, an aliud, quod alter habuerat: dum tamen vnicuique, prout cuiq; opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, dum conqueritur aliquis, se deterius accepisse, quàm prius habuerat, & indignum se esse, quòd non ita vestiatur, sicut alius frater eius vestiebatur; hinc vos probate quantum vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod deposueratis, in vnum tamen locum, sub communibus custodibus habete, quod ponitis. Ita sanè, vt nullus sibi aliquid operetur; sed omnia opera vestra in vnum fiant maiori studio, atque frequentiori alacritate, quàm si vobis singuli propria faceretis. Charitas enim, de qua scriptum est, quòd non quærit, quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Et ideo quantò magis rem communem, quàm propria vestra curaueritis, tantò vos amplius proficere noueritis. Vt in omnibus, quibus vtitur trãsitoria necessitas, superemineat, quæ permanet Charitas. Consequens ergo est, vt etiam cum quis suis filijs, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria

deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.

Indumenta vestra secundum arbitrium Præpositi lauentur, siue à vobis, siue à fullonibus, ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.

Lauacrum etiam corporis, cum infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur. Sed fiat sine murmure de consilio medicinæ, ita vt etiam si nolit, iubente Præposito, faciat, quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & fortè non expediat, suæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim (etiam si noceat) prodesse creditur, quod delectat. Denique si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quod sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed tamen, vtrum sanando illi dolori, quod delectat, expediat, si non est certum, medicus consulatur. Nec eant ad balnea, siue quocunque ire necesse fuerit, minus quàm duo, vel tres. Et ille, qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus Præpositus iusserit, ire debet. Aegrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorum siue aliqua imbecillitate, etiam sine febribus laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de cellario petat, quod cuique opus esse prospexerit. Siue autem qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus

suis.

suis. Codices certa hora singulis diebus petantur; extra horam, qui petierit, non accipiat. Vestimenta verò, & calciamenta, quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differant; sub quorum custodia sunt, quae poscuntur.

De fraterna dilectione. Cap. V.

Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis; ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem suum, homicida est.

Quicunque conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem laeserit, meminerit satisfactione quantò citius curare, quod fecit: & ille, qui laesus est sine disceptatione dimittere. Si autem inuicem se laeserint, inuicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes vestras, quas vtique, quantò crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis. Melior est autem, qui quàmuis ira saepe tentetur, tamen impetrare festinat, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quàm qui tardiùs irascitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si inde non proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quae si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulne-

ra. Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis; ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frāgatur authoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium domino, qui nouit etiam eos, quos plùs iusto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

De obedientia, & reuerentia Prælatis exhibenda, eorumque conditionibus. Cap. VI.

P*Ræposito tamquam patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.*

Vt ergo cuncta ista seruentur, & si quid seruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, sed vt emendandum, corrigendumque curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius est apud vos maior authoritas, referat, quod modum, vel vires eius excedit, ipse verò, qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente fœlicem. Honore coram vobis Prælatus sit vobis. Timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorū operum præbeat exemplum. Corripiat

plat inquietos; consoletur pusillanimes; suscipiat infirmos; patiens sit ad omnes; disciplinam libens habeat; metuendus imponat. Et quamuis vtrumq; sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat, quàm timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Vnde vos magis obediendo non solùm vestri, sed ipsius etiam miseremini, qui inter vos quantò in loco superiori, tantò in periculo maiori versatur.

De obseruantia mandatorum Regulæ, & modo obseruandi. Cap. VII.

DOnet Deus, vt obseruetis hæc omnia, tanquàm spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona vestra conuersatione fragrantes, non sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub gratia cõstituti. Vt autem vos in libello hoc, tanquam in speculo possitis inspicere, ne per obliuionem aliquid negligatis; semel in septimana vobis legatur: & vbi vos inueneritis, ea quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quicunq; vestrum viderit aliquid deesse, doleat de præterito, caueat de futuro, orans vt sibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

GRE-

GREGORIVS PAPA XIII.



D perpetuam rei memoriam. Cum ſicut accepimus. Dilecti filij Fratres Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ ſemper Virginis, ſub Regula Sancti Auguſtini viuentes, in Capitulo Generali nuper menſibus præteritis ab eis Parmæ celebrato ſimul congregati, nonnulla ſtatuta ad fœlicem ſtatum, & directionem, ac reformationem eiuſdem Ordinis fecerint. Atque dederint in mandatis dilectis filijs Alexandro Prouinciali Lombardiæ, & Paulo Prouinciali Venetiarum, ac Cyrillo Socio Prouinciæ Romandiolę, vt vnà cum dilectis filijs Iacobo de Florentia Priore Generali, & Antonio de Burgo Sancti Sepulchri Procuratore in Romana Curia dicti Ordinis, omnes eiuſdem Ordinis conſtitutiones iuxta litteras reformationis eiuſdem Ordinis, per fæl. record. Pium Papam V. prædeceſſorem noſtrum factę, atque iuxta dicti Ordinis Regularia inſtituta corrigerent, ac reformarent, & ſimul cum alijs in dicto Capitulo ſtatutis ederent, & earum à nobis confirmationem peterent. Ipſi verò ſimul in Monaſterio ſancti Marcelli de Vrbe dicti Ordinis conuenientes, prædictas conſtitutiones iuxta litteras Reformationis prædictæ, ac ſtatuta in eodem Capitulo Generali decreta correxerint, reformarint, & compilarint, nonnullas dubietates, quæ in eis erant, explicantes, ac etiam quædam alia de nouo addentes, prout eis viſum eſt expedire, atque illas deinde à nobis confirmari humiliter ſupplicauerint. Nos verò conſtitutiones prædictas, & per eoſdem Priorem Generalem, & ſecum deputatos Fratres prædictos (vt præfertur) correctas, & reformatas, ac compilatas, dilecto filio noſtro Iulio Antonio Tit.

San-

Sancti Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali Sanctæ Seuerinæ nuncupato, eiusdem Ordinis apud nos, Sedemque Apostolicam, pro Venerabili fratre nostro Alexandro Episcopo Portuensi Cardinali Farnesio nuncupato Protectore, Viceprotectori reuidendas, & examinandas remiserimus, dictusque Iulius Antonius Cardinalis illas accuratè, ac omni cum diligentia reuiderit, & examinauerit: Cupientes easdem constitutiones, & ordinationes ab omnibus, quos illæ quomodolibet concernunt, & concernent in futurum, diligenter, & exactè obseruari. Ac Priorem Generalem, & secum deputatos predictos, atque alios vniuersos eiusdem Ordinis Fratres à quibusuis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, alijsq; Ecclesiasticis Sententijs, Censuris, & Pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt (ad effectum præsentium dumtaxat consequendum) harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes: nec non constitutionum prædictarum tenores, præsentibus pro expressis habentes, ac reuocantes in primis alias eiusdem Ordinis constitutiones, præsertim editas de Anno Domini 1569. Huiusmodi supplicationibus inclinati omnes, & singulas constitutiones, & ordinationes prædictas à Priore Generali, ac secum deputatis Fratribus prædictis correctas, reformatas, compilatas, & editas, & ab eodem Iulio Antonio Cardinale (vt præfertur) reuisas, & examinatas, atq; omnia, & singula in eis contenta ex certa scientia Apostolica authoritate tenore presentium approbamus, & confirmamus, Illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos tàm iuris, quàm facti, & solemnitatum, etiam substantialium defectus (si forsan qui interuenerint in eisdem) supplemus. Præcipimus quoq; in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ pœna

d omni-

omnibus,& singulis dicti Ordinis Fratribus, quatenus de cęteroconstitutiones, & ordinationes præfatas inuiolabiliter obseruent, & obseruare studeant. Decernentes præsentes litteras nullo vnquàm tempore subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi; Seu etiam per Sedis Apostolicæ de Latere Legatos, aut Vicelegatos, seu dictum Alexandrum Cardinalem, & pro tempore existentem Protectorem, seu Viceprotectorem, aut Generalem, & Superiores dicti Ordinis, vel quoscunque alios, quauis authoritate reuocari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus vnquam posse; Sed constitutiones, & ordinationes prædictas à Priore Generali,& secum deputatis Fratribus huiusmodi correctas, & reformatas, ac ab eodem Iulio Antonio Cardinale reuisas, & examinatas perpetuò validas, & efficaces fore, & esse: necnon suos plenarios, & integros effectus sortiri. Sicq; in præmissis ab omnibus cēseri,& ita per quoscunq; Iudices, & Cōmissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores,& alios quauis authoritate fungentes,etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, vbique iudicari,& definiri debere. Necnon irritum,& inane, si secus super his à quocunque quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis: Quibus omnibus, eorum tenores pręsentibus pro expressis habentes(illis aliàs in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat,specialiter, & expres-

sè

sè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Cæterùm quia difficile foret, præsentes litteras ad singula quæq; loca, vbi necesse fuerit, deferri volumus, & similiter dicta authoritate decernimus, quod transumpto præsentium litterarum sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici munito, & manu Notarij publici subscripto eadem fides tàm in iudicio, quàm extra illud vbilibet adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Septembris 1579. Pontificatus nostri anno octauo.

Cæ. Glorierius.



Lexander miseratione diuina Episcopus Portuen. & Sanctæ Rufinæ, S.R.E. Vicecancell. Cardinalis Farnesius nuncupatus, ac totius Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ semper Virginis Protector. Vniuersis, & singulis Religionis eiusdem Patribus Magistris, Licentiatis, Baccalaureis, ac alijs quibuscunque Fratribus salutem in Domino sempiternam. Cum per Reueren. Patrem Magistr. Iacobum Tauantium de Vrbe Florentinum Priorem Generalem exhibitæ Viterbij nobis fuissent vestri Ordinis constitutiones ex decreto Capituli Generalis hoc Anno 1579. Parmæ celebrati, per Reuerendos Pat. Magistros Alexandrum de Scandiano Prouincialem Lombardiæ, Paulum Venetum Prouincialem Venetiarum, & Cyrillum Bononiensem Socium Prouinciæ Romandiolæ, vnà cum prædicto Priore Generali, & Magistro Antonio de Burgo Procuratore Ordinis in Rom. Curia reformatæ, compilatæ, & editæ, atque ab Illustriss. & Reueren. Iulio Antonio T T. Sancti Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali Sanctæ Seuerinæ nuncupato, nobis absentibus nomine nostro apud Sedem Apostolicam vestri Ordinis Viceprotectore accuratè reuisæ, ac omni diligentia examinatæ: vt ea authoritate, qua ex Protectionis nostræ munere de hac vniuersa Seruorum Religione fungimur, easdem omnes, & singulas approbaremus, & confirmaremus. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati constitutiones prædictas approbandas, & confirdas esse, duximus: prout præsenti decreto omnes, & singulas approbamus, & cõfirmamus. Præcipientes de cætero ab omnib^9, & singulis Religionis prædictæ professis recipi, & inuiolabiliter obseruari. Et ita per hoc decretum manu nostra subscriptũ, & solito nostro sigillo signatum mandamus.

Dat. in Arce Viterbij Die prima Octobris M.D.LXXIX.

A. Cardinalis Farnesius Protector.

VRBANVS PP. VIII.



D perpetuam rei memoriam. Sacrosancti Apostolatus ministerium, quod ineffabilis diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei Altitudo humilitati nostræ, licet nullis suffragan. meritis per abundātiam cælestis misericordiæ credidit, iugiter Nos admonet, vt inter multiplices, grauissimasq; apostolicæ seruitutis curas in eam peculiari studio incumbamus, vt Christi fideles, qui in sortem Domini vocati, eius obsequijs sub suaui Religionis iugo insistunt, fœliciter regantur, & gubernentur, & his, quæ propterea prouidè statuta, seù ad iam statutorum in meliùs reformationem, declarationem, & interpretationem facta esse comperimus, libenter cum à Nobis petitur, Apostolicæ confirmationis adijcimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Nuper siquidem pro parte dilecti filij Angeli Mariæ Berardi Prioris generalis Fratrum Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ Virginis Nobis expositum fuit, quod pro reformatione, correctione, declaratione, seù interpretatione constitutionum dicti Ordinis fuerunt ex decretis plurium Capitulorum generalium Ordinis huiusmodi ab anno M. D. L X X X. ad annum M. DC. X X X III. celebratis collecta nōnulla, & in vnum redacta per Patres Definitores Capituli generalis eiusdem Ordinis dicto anno M. DC. X X X I I I. celebrati, & postmodum per Chirographū vniuscuiusq; Patris vocalis eiusdem Capituli generalis approbata ten. sequen. videlicet. Decreta Pro reformatione, correctione, declaratione, seù interpretatione Constitutionum Ordinis Seruorum B. Mariæ Virginis, ex decretis plurium Capitulorum generalium ab anno M. D. LXXX. vsq;

ad

ad M.DC.XXXIII. iuxtà facultatem tributam Definitorio,& Capitulo generali prima constitutione eiusdem ordinis, cap.XXXXII. & XLIII. literis apostolicis in forma Breuis à Gregorio XIII die XXI.Septembris MD.LXXIX. emanatis collecta, & in vnum redacta per Patres Definitores Capituli generalis M.D.C.XXXIII.& postmodum per chirographum vniuscuiusq; Patris vocalis eiusdem Capituli approbata. Ad *Cap. 1. De Reuerentijs B. Mariæ.* Ad omnia Altaria, si commodè fieri potest, adsit imago aliqua Beatæ Mariæ, quæ tùm in principio, tùm in fine Missæ de more salutari possit,& in omnibus Ecclesijs sit Altare, aut saltem imago Beati Philippi, cuius festum celebretur vbique. Post Salue Regina cantentur, aut legantur Litaniæ B. V. pro locorum consuetudine, cum ℣. in fine; Ora pro nobis sancta Dei genitrix.℟. Vt digni &c.& orat. Pietate tua &c. prout in libro officiorum Ordinis nostri. In principio cuiuslibet horæ (exceptis horis Officij parui B.M.V. quando dicitur in choro) Hebdomadarius dicat alta voce ℣. Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.& Chorus respondeat ℟ Benedicta tu in mulieribus, & Benedictus fructus Ventris tui Iesus! In principio quoq; Missæ ante ℣. In nomine Patris &c. eadem verba dicantur à celebrante, Clerico respondente: & in fine Missę dicat Sacerdos Antiphonam Salue Regina flexis genibus, etiam tempore Paschali, cum ℣. Ora pro nobis &c. sine alleluia; mox surgens dicat orationem Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ &c. In persoluendo officio paruo B.M.V. tàm in choro, quàm extra, tempore Paschali non dicatur alleluia, nisi post versum, Domine ad adiuuandum me festina. Qui ritus seruetur in recitanda, seù decantanda vigilia eiusdem B.V. eodem tempore Paschali:& semper legatur, aut cantetur cum tribus antiphonis. Recolantur diebus festis pro locorum cōsuetudine dolores B. M.V. *Ad Ca-*

pi-

pitulum II. de Officio Ecclesiæ. Fiat officiu m dupl. cū octaua in festis Purificationis, Annūciationis (extra tempus quadr.) Visitationis, Pręsentationis, & Cōceptionis B.M.V. In festis item S. Augustini, & B.P. nostri Philippi, in cuius honorem sit in qualibet Ecclesia Capella, vel Altare; Sine octaua verò in festis S. Petri Martyris, BB. Ioachini Senensis, & Peregrini Foroliuiensis Confessorum, Sanctę Monicæ Matris S. Augustini; quolibet Sabatho extra tempus Aduentus, Quadragesimæ, & Vigiliarum, festo nouem lectionum non impedito, officium recitetur de B. Virgine sub ritu semiduplici, prout in libro Officiorū Ordinis nostri adnotatur, inter suffragia SS. recolatur Ecclesiæ Patronus, & si Ecclesia fuerit dicata Angelis, vel S. Io. Baptistæ, horum commemoratio præcedat commemorationem Apostolorū Petri, & Pauli. Celebraturi euntes ad Altare, & redeuntes grauiter incedant, tecto capite non bireto, sed amictu. In confessione non liceat alicui ex deuotione nomen alicuius Sancti inserere. Missa Conuentualis quotidiè cantetur in Conuentibus præsertim Collegiatis, hoc est vbi saltem duodecim sunt de familia, vnicuique Sacerdoti (exceptis Superioribus, Prædicatoribus, & Regentibus) assignetur hora celebrandi. Quolibet mense prima die non impedita cantetur missa Conuentualis de Spiritu Sācto, vel de Domina pro benefactoribus, pro necessitatibus, & augmento Religionis, & singuli Sacerdotes ob eandem causam celebrent, si alia obligatione nō sint impediti, vel saltem orent in Missæ sacrificio, & in priuatis exercitijs spiritualibus. Cum lectoribus, & prædicatoribus Superiores ijs tantùm diebus, quibus actu legunt, vel prædicant dispensare possint, idem quoq; præstare valeant cum ęgrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animaduertant ad præscriptum constitutionum ali-

men-

menti, etiam si opus fuerit, subtractione. Absente Generali, Prouinciali, aut Priore Conuentuali, fratres benedictionem accepturi extra Chorum, vt pluribus in locis contingit, vertant se versus digniorem, aut Seniorem, in Choro autem versus Vicarium Prioris, si adsit, sin miuus versus dignorem aut Seniorem. *Ad Capitulum III. de mortuorum suffragijs.* Pro anima cuiuslibet fratris defuncti in omnibus Conuentibus dicantur Vesperæ, matutinum, laudesq; defunctorum & missa Conuentualis &c. & alia vt in constitut. Pro Summo Pont. decantetur officium &c. Clerici idem officium, etiamsi choro interfuerint, priuatim recitent. Sacerdotes legitimè impediti, si non potuerint celebrare tres missas pro anima defuncti, recitent Officium Defunctorum cum 9. Lectionibus Vrbani VIII. sub Datũ Romæ die. V. Nouembris 1633. Sacrista habeat librum peculiarem, in quo adnotetur suffragia, & qui missam cantauerit in eo se subscribat &c. *Ad cap. IV. de Cæremonijs* nihil. *Ad Capitulum V. de Confessione, & Communione*, Cõfiteantur etiam, & communicent in festo B. P. nostri Philippi. Confessarij deputandi pro confessionibus Fratrum audiendis sint ex approbatis à Generali, & illis tantùm, non alijs Fratres peccata sua confiteantur, aliàs cõfessio sit nulla. Excipiuntur Prædicatores extra loca Religionis, itinerantes, & alij quicunq; non habentes copiam Confessariorum nostri Ordinis; ipsis namq; permittitur vt alijs Sacerdotibus ab Ordinario Diæcesano approbatis ex regularibus, si adsint, sin minus sęcularibus peccata confiteantur. Et casus assignati à Clemente VIII. inserantur. *Ad Capitulum VI. de recipendis ad ordinem.* Non recipiantur maiores XVI. annis nisi in Capitulo generali, aut prouinciali iuxta constitutionem fęl. rec. Sixti Papæ V. qui tamen Decimum octauum non excedant recipi poterunt etiam in visitatione ex indulto Sanctisimi Domini Nostri Vrbani Papæ VIII. Et

qui

qui sexdecim excesserint, poni possint in secundo Nouitiatu (si id expedire videbitur) etiamsi professionem non emiserint, profiteri tamen debent anno probationis completo. In Conuentu vbi non fuerint sex vocales, nullus recipiatur laicus, aut clericus futurus, nisi Visitationis tempore præsente Generali, aut Prouinciali: Extra visitationem recipiatur à Conuentu viciniore habente sufficientes vocales, aut à Conuentu, in quo Nouitius debet educari, accedente consensu Conuentus, pro quo tãquam filius recipitur in scriptis illuc transmisso. Idemq; modus seruetur in professione. Qui pro clericis sunt recipiendi minores sexdecim annis, themata latinè, & expeditè conficiant per regulas minores vsque ad impersonalia inclusiuè, alij verò per omnes regulas maiores, itaut latinos auctores sciant explicare; cuius rei periculum fiat à Generali, siue ab alio de eius mandato: recipiendus autem maneat sæculari habitu indutus in probationem per mensem, aut per minus spatium temporis ad arbitrium Generalis in eo Conuentu pro quo recipitur, si fuerit Collegiatus, sin minus, in quo sit Nouitiatus. Inserantur quæ statuit Clemens VIII. circà recipiendos, hoc est Superiores diligenter exquirant quo spiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo, ac D.N. liberiùs famulari possint, an potiùs leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, & an eorum Parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur, & post probationem, confessionẽ generalem faciant, & communicent, si fuerint capaces, aliaque omnia existentia in instituto eiusdem Põtificis, excepta requisitorum cognitione olim ad Ordinarium loci delata: Nam Vrbanus VIII. in decr. de Apostat. & eiectis dispensauit &c. Pro alendis Nouitijs aliquid iuxta locorum consuetudinem soluatur. Qui, antequam sit completum tempus Nouitiatus, discesserit,

 &re-

& redierit intra mensem, recipi possit à Capitulo Conuentuali, si vltra mensem, possit recipi à Definitorio Prouinciali, aut à Visitatoribus in Visitatione, accedente postmodū consensu Capituli Conuentualis per suffragia semel tantum de ipso lata, faciat tamen nouam probationem per annum, ac si nunquam fuisset receptus, super quibus omnibus nec Generalis ipse dispensari possit. *Ad Cap. VII. de Nouitijs.* Præter statuta in constit. omnia decreta Clem. VIII. in instit. Nouitiorū: addito sequen. decretis, quòd scilicet Magister de Nouitijs errantibus pœnas sumat, sed semper in Nouitiatu, nunquam autem extra, etiamsi causa vrgere videatur, sub pœna amissionis vtriusque vocis per annum ipso facto incurren. Nouitij nullo modo admittantur ad professionem in Conuentu, vbi Nouitiatum fecerunt, nisi adsit consensus Capituli Conuentualis, pro quo recepti fuerunt. Nouitij clerici (si fieri potest) non deputentur ad inseruiendum Missis. *Ad Capitulum VIII. de modo Professionis.* Nouitius professurus proponatur toti Capitulo Cōuentus, cuius est filius, habito prius testimonio, nedum à Magistro Nouitiorum de moribus, & qualitatibus cum iuramento in manibus Prioris Conuentus, in quo Nouitius mansit exhibendo, itaut si compertum fuerit falsum dixisse, tanquam periurus seuerè puniatur: sed etiam à Priore, & à Patribus Discretis eiusdem Conuentus, in quo (vt præfertur) Nouitius educatus fuit. Antequam tamen proponatur Capitulo, Prior Cōuentus à quo receptus fuit Nouitius, teneatur inquirere an aliquod impedimētum occurrat, propter quod non sit admittendus ad professionem, & illud quàmprimum notificare: neque vlterius procedatur, donec per Prouincialem, vel Generalem huiusmodi impedimentum iudicatum fuerit esse, vel non esse legitimum. Constituatur liber peculiaris, in quo vniuscuiusque Nouitij professio assignato anno, mēse, die, & hora, registretur, illamq; Nouitius professus propria manu,

& duo

& duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant; Conuersus verò litterarum ignarus professus in eorundem testium, qui se subscripserunt, præsentia propria manu signum Crucis apponat, & hic liber asseruetur, & custodiatur in Archiuio, vbi scripturæ ad Monasterium, seù Conuentum pertinentes reponi consueuerunt. Inseratur Decretum Clem. VIII. de facienda probatione in Nouitiatibus à S. Sede designatis, videlicet Summus in Christo Pater, & D. N. D. Clemens diuina prouidentia Papa VIII. Cum iamdudũ animaduerteret collapsæ regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimũ iuxta sui muneris debitum vigilare, ac laborare non desistit, illud imprimis magnum impedimentum afferre, quòd in omnibus Monasterijs, & Conuentibus, ijsque præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes passim, ac sine delectu recipiuntur, ac inde fieri, vt quò magis varijs constitutionibus malè affectas radices euellere studet, eò magis infructuosa nouiter profitẽtium germina quotidiè succrescant, cumque ob zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas sua omnes Regulares ad vetus suæ cuiusque religionis institutum redigendi districtè prohibuerit, ne quis in certis Monacorum, & mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum religionis admitteretur, profiteturue quousque Monasteria, & Conuentus aliquot destinarẽtur, in quibus posset commodiùs regularis obseruantia secundum reformationem à Sanctitate sua institutam, introduci. Quia tamen non obstante tali prohibitione, cognouit nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate sua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptos, & admissos præter mentis suæ sensum. Idcirco huic malo prospicere volens, ne licentiam, ac facultatem huiusmodi subreptione, ac prætextu, Decretum S. suæ irritum reddatur. Nunc denuò districtè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus,

Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuscumque, cæterisque Superioribus Conuentuum, Monasteriorum, ac domorum quocunque nomine appellentur, intra Italiam, & insularum adiacentium fines existentium, quorumcunq; Ordinum mendicantium, & non mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum Fratrum minorum de strictiori obseruantia, necnon Capuccinorum S. Francisci, reformatorum S. Dominici Discalceatorũ ordinis Carmelitarum, necnon fratrum Congregationis Foliensis, Cisterciensis ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, S. Pauli Decollati, & aliorum de Somascha, Ministrorum infirmorum respectiuè ordinibus, Societatibus, seù Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & nunc iterum excipiendo voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi, ne sub cuiusuis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per litteras in forma Breuis dumtaxat, & non aliàs quemquam ad habitum regularem suscipiendum, nec etiam cõuersos, nisi in Conuentibus, Monasterijs, & Domibus auctoritate eiusdem S.D.N. prope diem in vnaquaque Prouincia designandis recipere, aut receptos ad professionem admittere vllo modo audeant. Quinimo contra primam prohibitionem Sanctitatis suæ receptos, etiamsi imperfectum habitum; aut sine caputio gerant, post præsentis decreti in Rom. Curia publicationem omnino eijcere debeant. Superiorem autem, qui huius decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnã priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decreuit, & alijs etiam pœnis arbitrio Sanctitatis suæ imponendis subiacere. Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi de-

decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcũque effectum, & nunc decernit, & declarat. Hoc autem Decretum noluit S. S. eos ordines compræhendere, qui Conuentus, Domos, & Monasteria à se probata pro Nouit. receptione, & educatione hactenus promissione sua constituerint, cæteras verò licentias, siuè particulares, quæ in hanc diem effectum non sunt sortitæ, reuocat, & annullat. Vult autem decretum hoc suum in solitis locis Vrbis publicatum, ita prædictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, priuilegijs, statutis, & constitutionibus quibuscunque in contrarium minimè obstan. Dat. Romę apud S. Marcum die 20. Mensis Iunij M.D.XC.IX. In Conuentu, in quo est Nouitiatus, si fieri potest, sin autem in alio, in quo vigeat regularis obseruantia, sit professorium, quod etiam Secundus Nouitiatus dicitur, iisdem (quoad fieri potuit) rebus instructum, quibus Nouitiatus: in quem locum Nouitij nuper professi transferantur, & vsque ad annum ætatis Decimum nonum expletum sub disciplina Magistri eisdem qualitatibus præditi, quibus Magister Nouitiorum, teneantur. Nec eis liceat cum alijs fratribus conuersari, nullis negotijs Conuentus implicẽtur, sed in choro tantùm, in Refectorio, & Missis (si quando opus fuerit) inseruiant, Grammaticæ studium prosequantur, & pro opportunitate illis de Lectore scientiarum prouideatur. Ne verò Monasteria grauentur expensis propter professorium, statuantur (si oportuerit) alimẽta per Definitorium in Capitulo Prouinciali, aut per Visitatores in visitatione. Possint Superiores rationabili de causa iuuenes professos confirmare in Nouitiatu sub obedientia Magistri Nouitiorum, qui tamẽ permittat pro locorum necessitate eosdem iuuenes in Altaris ministerio, seù etiam in choro decenti semper modestia inseruire. Consonat cum decr. Clem. VIII. de instit. Nouit. §. Ab hoc tamen circa finem. *Ad Cap. IX, De Adoptandis in filios*. Nullus deinceps

ali-

alicuius Monasterij professus dimittatur à suo Conuentu, nec adoptetur in filium alterius Conuentus, nisi dimissio à Conuentu filiationis, & receptio in Cōuentu adoptionis facta fuerit primùm in scriptis a filijs vtriusque Conuentus, tàm præsentibus, quàm absentibus, qui tamen vocem habeant in Capitulo Conuentuali per duas partes ex tribus (idque intelligatur in hoc casu tantùm quoad assensum duarum partium ex tribus) deinde proponatur toti Capitulo vtriusque Conuentus, vt probetur de more per suffragia supra medietatem dumtaxat. Quòd si ex vna Prouincia alteri quis adoptandus fuerit, adsit etiam cōsensus vtriusque Capituli Prouincialis, sed hoc ordine, vt prius dimittatur à Conuentu, deinde à Prouincia, è contra verò recipiendus per adoptionem ab altera Prouincia prius proponatur Prouinciæ, deinde Conuentui, cui est adoptandus. Adoptio autem quoad Prouinciam fiat tantùm per suffragia secreta, & non in scriptis. Si quis voluerit adoptari in filium Conuentus, qui vnum tantùm habeat vocalem, nulla sine illius consensu per Superiores, etiam per ipsum Generalem fieri possit adoptio, si nullus filius adsit, adoptio fiat in visitatione, aut in Definitorio Prouinciali, seruatis tamen alijs conditionibus quoad Conuentum suę filiationis in illo dimittendo. Si quis in alio Conuentu post primam adoptionem velit adoptari, id fiat sine præiuditiio primæ adoptionis, itaut nihil iuris acquirat, vel habeat alter Conuentus super bona, aut iura illius. Huiusmodi autem adoptiones vim nō habeant, donec à Generali fuerint confirmatæ, nedum quoad ipsas adoptiones, sed neque etiam quoad diuisionem per æquas portiones bonorum faciendas, videlicet immobilium, librorum, pecuniarum, & aliorum pretiosorum mobilium. Omnia acquisita, vel quoquomodo deuoluta intuitu personæ à die adoptionis per Generalem (vt præmittitur) approbatæ, sint Conuentus adoptionis absque vlla partitione. Post

con-

confirmationem autem illius Prouinciæ filius, siue Conuentus, in quo adoptatus est, quisque intelligatur, atque omnibus iuribus, & priuilegijs illorum gaudeat, ac si eorum foret professus. Nec liceat ei amplius ad Prouinciam, vel Conuentum, in quibus emiserat professionem, reuerti, neque ius aliquod in eis tanquam filius habere. Attamen bona, quæ obueniunt Conuentui intuitu personæ, æquis portionibus inter Conuentum professionis, & adoptionis diuidantur, exceptis ijs, de quibus mox dictum est à die adoptionis acquisitis. *Ad Cap. X. de Conuersis.* Oblati, seù commissi non recipiantur nisi Vigesimũ annum; ad professionem verò nisi XXV. cõpleuerint, & manserint in eodem habitu commissorum per biennium integrũ. In eorum receptione, educatione, & professione seruentur ferè omnia, quæ sancita sunt de Nouitijs, iuxtà decreta Clementis VIII. præsertim, quòd non profiteantur, nisi fecerint probationem in Conuentu, in quo sit Nouitiatus: à quo pro id temporis non remoueantur, nec alicuius personæ particularis seruitio deputentur, disciplinæ Magistri Nouitiorum omnino subiaceant *Ad Cap. XI. De promouen. ad Sac. Ord.* Probitatis, & sufficientiæ fidem faciant cum iuram. Prior, & Patres digniores, & seniores eius Conuentus, in quo promouendus pro maiori parte illius anni resederit, & in quo etiam tunc temporis commoratur de familia. Quoad litteraturam verò Prouincialis, & vnius saltem ex Patribus examinatoribus in Capitulo deputatis: sed nullum probent ad maiores ordines, qui Concilium Trid. aut Catechismum, vel saltem Missale Romanum non rectè explicauerit, qui codices (onerata examinatorum conscientia) ex improuiso offerant examinandis, huiusmodi autem probationis testimonium mittatur Generali, qui solus sic probatis, dimissorias (si sibi visum fuerit) ad maiores ordines suscipiendos concedat. Ad minores autem Prior Prouincialis possit illas concedere: sine quibus in scriptis habitis,

nemo

nemo audeat ordinem maiorem sine Generalis, minorem verò sine Prouincialis licentia suscipere;nec ab alio Episcopo, quàm à proprio, seù Dioecesano, nisi eo absente, aut ordinationes non habente, aut Sede Episcopali vacante, quo casu viciniorem alium Episcopum adire poterit, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tẽpus, quo Episcopus Dioecesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes: Verum cum à Superioribus regularibus, Episcopo Dioecesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis vtique huiusmodi causam absentiæ Dioecesani Episcopi, vel ordinationum non habendarum exprimere teneantur. Quod si regulares ordinandi morentur in Monasterio nullius Dioecesis, huiusmodi dimissoriæ concedi debent ad Episcopum viciniorem, in eoque locum habeant, quæ de Episcopo Dioecesano superius præscripta sunt. Prior Prouincialis, qui falsam fidem circa mores, & sufficientiam ordinandi ad Generalem transmiserit, puniatur iuxta Concilij dispositionem. Circa finem cap. apponantur verba formalia Conc. Trid. sess. XIV. cap. 1. hoc est nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoueri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, & dignitates, siue honores restitutio suffragetur. *Ad Cap. XII. De Confessoribus*. Lectio casuum conscientiæ ter, aut saltem bis in hebdomada habeatur, eaq; absoluta mutua collatione circa explicatam doctrinam se sevtiliter exerceant, & propterea lector semper casus aliquos in sequẽti lectione discutiendos proponat, pęna statuta de lectione extenditur ad collationem, seù vt dicitur conferentiam, hoc est, qui vtramque prætermiserit &c. liceat tamen casuum lectionem intermittere in Quadragesima, si Lector prędicauerit, & à Superioribus mense Iulio, & Augusto, si calores fuerint excessiui, dispensari

po-

poterit, ita tamen vt lectiones casuum saltem LX. per annum habeantur, aliàs lector subeat pœnas statutas in constitutionibus, & Prior, qui permiserit, in visitatione puniatur. Generalis autem in visitatione illos, quos ipse, vel Prouincialis simul cum vno saltem examinatore, si ibi adsit, nouerit idoneos, admittat ad triennium tantùm, & non vltra, donec iterum examinentur, exceptis Magistris, quibus absolutè cõcedi poterit licentia &c. Patres verò quinquagesimum annum excedẽtes poterunt eximi à nouo examine, si aliàs reperti fuerint idonei. *Ad Capitulum XIII. De Studentibus.* Lectio Theologiæ speculatiuę habeatur ex approbatis Doctoribus Generalis arbitrio in Capitulo generali statuendis, itaut in triennio explicetur tota summa D. Thom. aut Henrici Gandauẽsis Ordinis nostri, vbi occasio præsto fuerit, breuiter expeditis ijs, quæ minorem speculationem exposcunt. Baccalaurei Conuentus munus erit lectionem ex Philosophia habere, itaut primo anno libros Physicæ, secũdo lib. de Cęlo, & Mundo, & de Generatione, tertio lib. de Anima interpretetur. In secundo triennio (si Lectores, & Studentes in eodem Conuentu à Generali assignentur) habeantur lectiones ad nutum eiusdem Generalis, qui indigentiæ ratione inspecta, quid magis videbitur expedire, decernat. Teneantur Lectores omnes ad minus singulis annis 120. lectiones ad spatium vnius horæ, ac totidem disputationes, quas circulos dicimus, habere. Morum famæ &c. fidem faciant cum iuramento Prior, & Patres discreti; vel ij, qui steterint loco discretorum eius Conuentus, in quo is ante resederit saltem per annum. Recognitio autem fidei testimonialis fiat vel in visitationibus à Generali; aut ab eius Vicario, & à Prouinciali vnà cum Socio eius Prouincię, in qua admittendus resederit, vel in Capitulo Prouinciali ab eisdem, vt præfertur, simul cum Definitoribus: quòd si

 cer-

certo constiterit Generali, vel eius Vicario fidem aliunde aliquid falsitatis cõtinere, testes puniat tanquàm periuros, & adscriptum in studentium numerum ex illo abradat, patentesque litteras scindat, nec vltrà concedat. Id autem cæteris paribus seruetur etiam in promouendis ad Sacros ordines, & ad gradus, sciantq; Testes, vltra pœnas contra eos inflictas, Periculum autem idoneitatis, & peritię pro adscribendis in studentium numerum, fiat in visitationibus, aut in Capitulo Prouinciali (vt præfertur) ab ijsdem Patribus (excepto Socio, si non sit Magister, & pariter Definitoribus non Magistris) hoc pacto, iuueni probando per examen tradantur duo Auctores ex difficilioribus, quos ex improuiso per alia verba latina interpretetur, & sensum, tum Italico, tum Latino aperiat idiomate, ita ut constet illum aptum esse ad quoslibet latinos auctores intelligendos, & ad audiendam Logicæ lectionem. Regens, & Baccalaurei omnes (multò minus studentes inferiores) non possint, excepto tempore Quadragesimæ, prædicare, nisi forte infra annum, vbi degunt ob inopiam alterius Prędicatoris, ita tamen, vt debitæ lectiones non intermittantur. In minoribus studijs sufficiat Regens, aut Lector vnus, & hic possit esse Baccalaureus; ex his autem minoribus studijs accipiantur mittendi ad studia maiora, nec vllus assumatur ad audiendam Theologiam, qui non expleuerit cursum integrum Philosophiæ, cum testimonio Lectoris iuramento firmato. Studentes commorantes extra proprium filiationis Conuentum ab eodem Conuentu ex consuetudine subsidium percipiant, & id vsq; ad gradum Baccalaureatus tantùm, postmodum nullo pacto eis tribuatur. Cõstituatur Bibliotheca in quolibet Conuentu, vbi fuerit studium, quin & in omni Conuentu collegiato constituatur similiter Bibliotheca ex libris Fratrum decedentium. Ne iuniores professi, aut Nouitij, si qui fue-

rint idonei ad audiendam Dialecticam, publicis cogantur lectionibus interesse, ideoquè ab eiusmodi studio feriari, Prior Generalis constituat Lectorem pro loci, & personarum opportunitate omnino quoad id muneris seiūctum, & independentem à Regente, vel ab alio Rectore, itaut etiamsi publicè defendantur cōclusiones ab illis iuuenibus, ipsis assistat proprius Lector, & non alius. Possit tamen Regens (si talis Rector non fuerit Magister) Prior Prouincialis, vel etiam Prior Conuentualis, dummodò sit idoneus, aliquid addere, declarare, vel etiam decidere, si necessitas, aut quandoquè adstantium consensus, aut arguentium existimatio postulauerit. *Ad Cap. XIV. de promouen. ad gradus.* Ad Baccalaureatus gradum nullus nisi vigesimo septimo anno expleto promoueatur, & manserit sub disciplina Regentis per sex annos completos, & semel in publica disputatione partes respondentis probè substinuerit, vel in loco, in quo studijs incumbit, vel in Capitulo Generali, aut Prouinciali. Disputationis autem huiusmodi (qualis illa euaserit) siue ante promotionem, siue post ipsam, fiat fides cum iuramento ab ipsomet assistente, & ab alijs, qui interfuerint, si sint Magistri. De vita, & moribus promouendi sumantur informationes summariè cum iuramēto ab ijs, quibuscum proximo triennio conuersatus est. Ad gradum Magisterij promoueantur, qui manserint per sex annos continuos in gradu Baccalaureatus sub disciplina Regentis, quiquè publicis congressibus conclusiones (præter alias ad Baccalaureatum cōsequen.) honorificè defenderint, ętatis annorum XXXIII. completorum, litterasquè testimoniales de vita, moribus, & doctrina iuxta formam præscriptam detulerint: talibus conditionibus præditi accedant de licentia Generalis ad Capitulum Prouinciale suæ Prouincię natiuę subituri rigorosum examen per duo puncta Theologiæ ex

improuiso assignata, si tamen Generali, & PP. ad hoc specialiter vt infra deputatis videbitur illos esse ad prędictum examen admittendos, factoq; doctrinæ periculo de more Generalis, vel eius Vicarius, Socius (si fuerit Magister) Definitor Generalis, Definitores Prouinciales, Magistri, & hi sequentes Patres (si tanquam vocales ad idem Capitulum accesserint, & examini prædicto voluerint interesse, sin minus, fiat sine illis) videlicet perfuncti officio Prouincialis, Procuratoris ordinis, & Prioris Generalis, necnon Regentes studiorum maiorum eiusdem Prouinciæ per secreta suffragia supra medietatem (onerata conscientia) admittant, vel reprobent. Baccalaurei verò, qui ante publicationem horum decretorum quamprimùm per Generalem faciendam, nec de industria sub interminatione diuini iudicij vllo pacto differendam, triennium Baccalaureatus prescriptum à Constitutionibus antiquioribus expleuerint, promoueantur à Generali seruata consueta (quoad examen vitæ, & doctrinæ) earundem constitutionum forma. Promotis per Generalem, aut per suum Vicarium ad Magisterij gradum Conuentus suæ filiationis nullum charitatis impendant subsidium; & Prior, qui secus fecerit (quouis prætextu) priuetur officio, & vtraquè voce per triennium. Magistri verò de cætero creandi non possint eligi in Prouincialem, Procurat. generalem ordinis, Definitorem generalem, neque Priorem Generalem, qui cursus studiorū iuxta constitutiones non fecerint, Magistri omnes sub pæna primationis vtriusquè vocis non possint aliquod Conuentus administrationis officium (exceptis officijs Prioratus, Vicariatus, Magistri Nouitiorum, ac professorum, Magistri Musices, Directoris Chori, Archiuistæ, Reuisoris rationum, seu etiam Depositarij) gerere, nisi necessitas, aut euidens vtilitas Generalis, vel Prouincialis iudicio probanda aliter postula-

stulauerit. Si alicui Patri ex necessaria causa iudicio Generalis probanda, socius ex ordine nostro, qui illi ministret, concedendus erit, is nisi vigesimum quintum agat annum, & qui communi seruitio sit deputatus, non concedatur, & si fieri potest, sit laicus conuersus. *Ad Cap. XV. De Prædicatoribus.* Is, cui prædicandi licentia concedenda est, cursum Theologiæ eousquè fecerit, perinde ac si ad gradum Baccalaureatus esset promouendus, vel iam Theologicas propositiones publicis cōgressibus honorificè defenderit Idoneitatis autem fiat periculum hoc pacto, videlicet Studens, qui ad prædicationis munus obeundum cupierit admitti, duas saltem conciones habeat in Refectorio coram Patribus, & si iuxta eorum iudicium fuerit ab ipsis probatus idoneus, ille petere possit prædicandi licentiam. Nulli, si non fuerit actualiter studēs, facultas prędicandi cōcedatur, nisi constiterit aliunde Generali (onerata illius conscientia) idoneitas ad id muneris obeundum. Ne autem Ecclesiæ consuetis destituantur Missarum sacrificijs in Quadragesima, animaduertat Generalis, ne licentias ad prædicandum (Magistris, & Baccalaureis exceptis) nisi inspecta necessitate cuiuslibet Ecclesiæ alijs Patribus quantumuis probatis concedat. *Ad Cap. XVI. De silētio.* Seruetur silentium tum in Dormitorio post prandium, & post cœnam, & idcirco aliquo temporis spatio transacto, & per sonum Campanellæ dato signo, quisq; in suam Cellam se recipiat, ne volentes orare, studere, vel quiescere impediantur, vtq; tempestiuè cubitum euntes ad matutinum surgere possint, tum maximè in Sacrario, & in Choro, etiam quando non celebrant diuina officia; quòd si quis præsumpserit contra Priorem, dum aliquem corrigit, insurgere tam in Refectorio, quam alibi, aut cum eo altercari, vel obstrepere, is in refectorio publicè coram alijs genuflexus veniam petat, & publica

pa-

pariter disciplina plectatur, quam pœnam etiam incurrat, qui durante silentio strepitum ediderit verbis, aut alicuius rei proiectione, siue in contemptum, siue cõtra silentij obseruantiam facta. Qui verò immoderatos clamores in Monasterio emiserit, corripiatur à Priore in medio Refectorij genuflexus, & si semel correptus in idem reciderit, addatur publica disciplina: puniat etiam Prior obscœna verba proferentes, mutuò diffidentes, minasq; intentantes, addita quoque pro modo culpæ disciplina similiter publica, maximè si id coram sæcularibus acciderit. Curet Prior, vt in medio Dormitorij totam noctem lampas colluceat; vtquè in loco satis conspicuo appẽdatur Tabella, in qua descriptum sit, quid singulis horis agẽdum fuerit. *Ad Capitulum XVII. De refectione*. Lectio fit etiam de vita Sancti ea die occurrentis, vel ex aliquo spirituali codice de regulari obseruantia, vel quid simile ad arbitrium Prioris. *Ad Cap. XVIII. de Ieiunijs*. Non dispẽsetur super ieiunio feriæ sextæ ob aliud ieiunium eiusdem hebdomadæ, nisi immediatè præcesserit, vel subsequatur, neq; super ieiunio Aduentus, nisi consulto Generali, aut saltem Prouinciali, præsertim in Conuentibus Collegiatis, neq; iè pro tota familia. Addatur vigilia Præsentationis B.M. Virginis, & B. P. nostri Philippi. *Ad Cap. XIX. De Vestibus*. Pelles magni valoris non deferantur, pilei sint vniformiter religiosi. Bireta non angularia, sed potiùs rotunda. Pallia, quibus, cum pluit, ac in itinere dumtaxat, vtendum est, simplicia. Habitus Religiosus exterior per Vrbem semper sit integer, & longus ad talos, omnis ornatus sericus, argenteus, vel aureus, quin & color in omni re quamuis minima, præterquàm in hisce constitutionibus sit expressum, omnisq; luxus penitus tollatur. Si quando autem Prior irreligiosos, aut sericos, vel serico ornatos habitus inuenerit, eos omnino scindat, & auferat, possessoresq;

resq; pœna culpæ grauis puniat. Prouincialis in visitationibus transgressores corrigat, & ipsum Priorem in supradictorum executione negligentem repertum, etiam pro modo culpæ ab officio suspendat. Indumenta communia interiora sint nigra, aut alba,& ad summum coriacea, sicut calcei albi tantummodò sint, vel coriacei. Nullus prætereà, quamuis Magister, quacunquè de causa annulos aureos,aut argenteos, vel alterius materię in digitis gestare pręsumat sub pœna priuationis vtriusquè vocis ipso facto incurrēda, nec possit restitui,nisi per Generalē. *Ad Cap. XX. De Rasura.* Capilli circa tempora sint vniformes,nec promineant magis,quàm ij,qui in vertice capitis ex necessitate permittuntur, sub pœna priuationis vtriusquè vocis ipso facto incurrenda, & ad arbitrium Generalis relaxanda. Prior,qui contrauenientes non corripuerit,officio priuetur,nulla admissa transgressionis, & negligentiæ excusatione. Qui excusari debent à Rasura propter infirmitatem,pręcipuum offerant Medici testimoniū,quo probetur illud præcisè infirmitatis genus reuera impedire rasuram. *Ad Cap. XXI. De Clausura, & Cellis.* Cum quis domū redit, Superiorem iterum adeat benedictionem recepturus,qui à Socio (hic autem non petentis rogatu, sed arbitrio Superioris; nec id sæpius concedatur) itineris rationem, & quod rei actum sit, diligenter perquirat; licentiæ videlicet generales exeundi nulli omninò concedantur. Omnia ornamenta minus religiosa in Cellis Fratrum prohibentur, neque imagines, aut pictę Tabellæ in ijs, nisi Sanctorum, aut honestæ habeātur. Prior autem sub pœna priuationis officij omnia vana, & superflua teneatur amouere. Non admittantur sæculares, etiamsi fuerint Clerici, exceptis insignioribus,& nobilioribus viris, ad audiendas lectiones in Cellis Fratrum, sed si contingat illas haberi, legantur in aliquo loco publico. Banniti crimi-

nosi,

nosi, & decoctores non recipiantur iuxtà decretum Clem. VIII. in Bulla V. tom. III. fol. LXXXIII. nu. XXXVI. Fratres in ludis etiam licitis cum sæcularibus nunquam se immisceant, & inter se certis horis, certisq; diebus tantùm ad corporis exercitium, sed nullo pacto, dum persoluuntur diuina, sub pænis pro modo culpæ infligendis. Non intersint Equorum cursibus, hastiludijs, & alijs publicis spectaculis vanis sub pœnis vt supra. *Ad Capitulum XXII. De Itinerantibus*. Nullus ab vna Prouincia ad aliam, si distent inter se supra decem milliaria, sine licentia Prouincialis transire audeat. Fratrem alterius Religionis absq; suorum Superiorum licentia Prior non excipiat iuxtà constitutionem fæl. rec: Sixti Papæ V. Nullus Romam petere audeat absq; Generalis, seù Protectoris, si adsit, licentia sub pęna priuationis vtriusquè vocis per triennium, quam solus Pontifex remittere potest. Prior tamen Prouincialis ex causa communi totius Prouinciæ dumtaxat, huiusmodi facultatem concedere valeat. Qui autem sine illa Romam adire præsumpserit, vltra prædictam pœnam per dies 15. claudatur in carcere. *Ad Cap. XXIII. de Infirmis*. Nullus ab Aromatario, etiã si sit infirmus, quid recipere possit, nisi de Prioris licentia, & Medici consilio; scribanturq; omnia in libro penes Infirmarium existente, & penes Priorem extra causam infirmitatis, alioquin ad nihilum teneatur Monasterium. Si quis obierit extra claustra in itinere, bona illius ad vsum concessa spectent ad illum Conuentum, in quo est assignatus de familia à die expeditæ obedientiæ, etiã si prædicta bona in Conuentu, cuius est filius, vel in alio reperirentur, & idcircò idem Conuentus, cui deuoluuntur, teneatur ad expensas factas in infirmitate, & sepultura Fratris itinerantis. Quare ad euitan. confusionem Prior statim ac illi cõstiterit aliquem Fratrem de sua familia per Superio-

res

res remoueri, diem datam obedientiæ visæ, & recognitæ adnotari faciat per Procuratorē in libro publico. Excipiuntur à prædicta regula bona Generalis Procuratoris Ordinis, Prouincialis, Socij, & aliorū, qui ipsis Patribus quoquo pacto inseruiunt: horum omnium namque bona sint Conuentus, cuius fuerint filij, expensæ autem extraordinariæ, quæ fortasse honorificentiæ gratia in funeralibus Superiorum fieri possent, soluantur à Conuentibus propriæ filiationis, sumptus verò infirmitatis fiant à Conuētibus, in quibus decedunt. Inter preciosa recensentur res aureæ, siue argenteæ, sacra indumenta, imagines pictæ, vel sculptæ, equi, & huiusmodi; alia verò quæcunque illa sint, & secum quis ad vsum detulerit, pertineant ad Conuentum, in quo obierit, si ibi Conuentualis erat; Cætera autem sint eiusdem Domus filiationis, quæ tamen in Superioribus locum non habeant. Pecuniæ reliqua præciosa, & alia supra expressa quocunq; modo acquisita ab aliquo Fratrum, qui per decem annos continuos commoratus fuerit in Conuentu, vbi obierit (si quæ reperta fuerint) æquis portionibus inter Conuentum filiationis, & Conuentum habitationis, etiamsi ab hoc per sex menses ante obitum discesserit, diuidantur. Prior Eucharistiam tribuat infirmo per se ipsum, & etiam (quando opus fuerit) Extremam Vnctionē eidem infirmo ministret, nisi verè, & legitimè fuerit impeditus, hæc enim duo pertinent maximè ad animarum Pastorem. *Ad Cap. XXIV. De administratione bonorum.* Qui in præmissorum (hoc est à principio Capitis vsque ad verbum reponantur inclusiuè) aliquo deliquerit, pœnas nedum à Conc. Trid. perscript. nimirùm priuationis vtriusque vocis per biennium, sed alias quoque grauiores subeat arbitrio Superiorum imponēdas. Nulli liceat cuiuscunque cōditionis sit ex pecunijs proprijs quauis ratione debitis etiam ex patrimonio sibi tempore

 pro-

professionis reseruatis, vel labore, & industria propria acquisitis vtpote prædicationibus, lectionibus, & similibus; Monasterio, cuius est filius, aut alieno ad censum (vt aiunt) nomine proprio, Nepotum, Consanguineorum, aut Familiarium, vt pro ipsis aliquid à Monasterio intuitu illius capitalis recipiant, ad tempus quouis titulo etiam beneuolentiæ, vel gratitudinis dare, sed omnes pecunię prouenientes intuitu particularium Fratrum de consilio Patrum discretorum Monasterij, vel incorporentur bonis publicis Conuentus, vel ponantur in deposito, vel fundentur in bonis publicis Conuentus, vel fundentur in bonis stabilibus nomine Monasterij, ita tamen, vt redditus de licentia Superiorum pro eius necessitatibus inseruire possint, cuius intuitu venerat capitale, quod si aliàs alio modo, titulo, vel tenore, quàm vt præfertur contractus (etiam de Patrum Discretorum licentia, facti fuerint, & auctoritate Superiorum confirmati, nulli omninò intelligantur. Caueant, ne imposterum vigore talium pecuniarum Conuentus quouis titulo etiam gratitudinis pro fratribus, quorum erant tales pecunię, ponant in deposito nomine, siue intuitu ipsorum; quod vt sincerius pręstare possint, Visitatores pręcipiant Fratribus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, vt fideliter deponant, cuius fuerint tales pecuniæ propriæ, scilicet an donatæ, vel alio modo acquisitæ. Quòd si contractus iam initi, ficti reperti fuerint, ita aut aliquis Frater dederit pecunias proprias, & finxerit sibi donari à Cognatis, vel à quocunque alio, & quocunque titulo, & Frater liberè factum Superiori confessus fuerit, veniamque petierit, parcatur ipsi, & ex redditibus arbitrio Superiorum prouideatur de necessarijs, sin minus fuerit sponte cófessus, sed ab aliquo accusatus, atque conuictus à Superioribus, vti proprietarius puniatur. Omnes pecuniæ à Syndico in lib-

accepti scribantur, & cum alijs pecunijs Conuentus cōfundantur per manus Depositarij, cui traduntur. Superiores omnes etiā Generalis, qui redditus, aut præstationes ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios vsus, quàm ratione officij sui necessarios quicquam expendant. *Ad Cap. XXV. De qualitate, & potestate Generalis.* Generalis non sit, qui non fuerit in aliquo Religionis nostrę maioris Studij Regens, vel in aliqua publica Vniuersitate Theologiam legerit, vel in præcipuis Italiæ Vrbibus per sexennium honorificè prędicauerit. Prior Generalis functus officio suo coram tribus Iudicibus ab ipso Capitulo ad hoc deputatis suæ administrationis tam publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum autenticum ex actis Capituli describatur; vt ad omnē mādatum sacræ Congregationis, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possint. Idem Prior Generalis functus officio suo non præcedat Prouinciales in suis Prouincijs, & in Capitulo generali; secus extra Prouincias &, Capitulum Generale. Nulli subditus sit, præterquā Priori Generali, habeat vocem passiuam post sexennium. Si quando constituatur à S. Sede Vicarius Apostolicus, in Capitulo generali à se congregato vocem actiuam habeat, etiam passiuam licet aliàs non fuerit pręsentatus à Prouincijs ad gradum generalatus. Si idem Vicarius Apostolicus sit forrasse etiam primus Definitor, post resignationem officij in manu Definitoris subsequentis iuxta ordinem Prouinciarum redeat ad suum locum primi Definitoris, ibi sedeat, suffragium ferat, & peragat omnia, quæ ad primum Definitorem spectant. Sic declarauit SS. D.N. PP. Vrb. VIII. in lit. Præsidentiæ M.D.C.XXXIII. directis Illustrissimo D. Francisco Paulutio V. S. Referend. Apostolico. Si Definitor generalis, qui vi legis succedat in

locum Generalis defuncti, obierit, tunc non succedat Definitor generalis illius Prouinciæ, in qua prædictus locum tenens, aut Vicarius quoquo pacto vocetur, secessit e vita, sed à S. Sede de Vicario Apostolico prouideatur. Sac. Cõg. Regularium sic statuit pro Capuccinis &c. & pro Seruitis anno M.D.C.XXXII. mense Octobris in obitu Elisei &c. Generali autem decedente in Prouincia, quæ per obitum forte careat Definitore generali, in locum Generalis defuncti succedat Definitor Prouincialis Magister primus secundum tẽpus suscepti Magisterij. Vicarius legis à die obitus Gener. Vic. autẽ Sedis apost. à die expeditionis literarũ apostol. teneatur statim indicere Capitulum celebran. intra 4. menses, & non vltra. *Ad Capitulum XXVI. De qualitat. & officio Procuratoris Ord.* Procurator Generalis non possit abesse ab Vrbe vltra XV. dies, quòd si vlterius abfuerit, Generalis alium vsque ad illius reditum substituere valeat. Habeat sigillum in quo sit imago B.P. Philippi P.N. cum litteris circumductis videlicet Sigillum Procuratoris Ordinis Seruorum, vt illius litteris siue patentibus (quando oporteat de mandato Generalis) certa fides haberi possit. Non valeat assumi ad id officium Procuratoris, nisi vacauerit per duodecim annos. Ad gradum verò Generalatus post sexennium assumi valeat, cæteris tamen concurrentibus requisitis. Procurator Ord. non possit rescripta fauorabilia conficere, seù apponere in supplicibus libellis, seù petitionibus FF. præsertim non studentium, postulantium gradum Magisterij, contra, aut præter nostrarum constitutionum decreta, etiamsi (quoad studentes) in sæculo, vel in aliena Religione studiorum cursum expleuerint, idem quoq; intelligatur de ijs, qui priuilegia vocis actiuæ, aut passiuę, contra statuta harum constitutionum, & laudabilem consuetudinem Religionis sibi concedi præsumunt, atq; procurant, cui decreto pareat

etiam

etiam Generalis. Permanserit in Religione per annos XX. completos. *Ad Cap. XXVII. De qualitat. & potestate Prouincialis*. Sit Magister in Theologia ad Magisterium assumptus, iuxta præscriptum in his Constitut. vt supra. XLV. eiusdem Prouinciæ filius, in qua assumendus est, quiquè gestauerit habitum Religionis per annos XX. completos. Quòd si ob Magistrorum paucitatem nullus electus remaneat per tres vices, iteratis suffragijs, possit Magister alterius Prouinciæ etiam absens eligi. Si Prouincialis, & Socius inter se dissideant in Visitatione, consulant Generalem, cuius tamen votum ibidem non expectent, ne Conuentus grauetur expensis, sed causa illa tantùm omissa visitationem absoluant. Causam committant alteri Prouinciali actu existenti, vel vni ex ijs, qui tali munere fuerunt perfuncti. Non possit Prouincialis electiones Officialium, aut Discretorum, qui ad Capitulum Prouinciale mittendi sunt, retardare, aliàs electio eo ipso sit nulla, & ipse suspẽsionem ab officio incurrat. Eundem Fratrem non sæpius, nec alios tempore Discretorum eligẽdorum, vt prædicitur, transferat, nisi ratione scandali eo tempore incidentis, seù vrgenti de causa, nec relegare valeat Fratres, aut eos abijcere à sua Prouincia inconsulto Generali, neque patentes ad beneuolos dare, etiamsi petantur. Quòcunquè vacet officium alicuius Prioris, hoc est obitu, priuatione, inhabilitate, renunciatione &c. prouideat Prouincialis, nisi Generalis sit in Prouincia, isq; substitutus per Generalem, aut per Prouincialem dicatur Vicarius Prior, qui tamen in Capitulo ratione Vicariatus vocem non habeat, nisi à principio ob vacationem quoquo modo sequutam institutus fuisset, post electionem in Capitulo Prouinciali, & id intra mensem tantum: intelligaturq; Prior pro primo anno. Nequeat autem prædicare Prouincialis infra annum extra suam Prouinciam, ne ipsa vt plu-

rimum

rimum proprio destituatur Pastore. Rector Prouincialis institutus à Generali propter causas assignatas in Constit. perduret vsq; ad futurum Capitulum prouinciale proximè celebrandum. Si contingat Prouincialem obire, tunc Socius fungatur eius officio, & si is sit Magister, assumat tanquam prosocium primum Definitorem Prouincialem, non Magistrum electum in præcedenti Capitulo. Si autem Socius, non sit Magister assumat prosocium secũdum Definitorem Magistrum electum pariter in præcedenti Capitulo qui assistat in Visitationibus, & in Capitulo tantùm vsq; ad noui Prouincialis electionem, si Socius intra triennium obierit, Prouincialis assumat sibi prosociũ primũ Definitorem Prouincialẽ non Mag. vsq; ad futurũ Cap. Prouinciale. *Ad Cap. XXVIII. De qualit. & officio Socij.* Socius sit annorum 35. & electus intelligat ad triẽnium vnà cũ Prouinciali. Socius nõ præcedat, quos aliàs non præcedit, nisi tempore Capituli, & visitationis tantùm. Si Socius obierit, Prouincialis tanquàm prosocium habeat vsque ad futurum Capitulum proximè celebran. secũdum Definitorem non Magistrum, cui assignetur viaticum ex portione debita ei; qui obierit in officio. *Ad Capitulum XXIX. De qualit. & auctorit. Prioris Conuentualis.* Qui eligendus est in Priorem Conuentus Collegiati, iam ministrauerit in ordine sacerdotali, per quadriennium cõpletum; in alijs verò satis erit si per triennium: Sed tamen tam pro Collegiatis, quam nõ Collegiatis, manserit in Religione per XII. annos: sitq; aptus ad Confessiones sęcularium audien. cuius idoneitatis Prouinciale, aut saltem vnus ex Prouinciæ examinatoribus cum iuramento fidem faciat: nec fuerit Prior eiusd. Conuentus per quadriennium, nec per idem tempus immediatè præcedens continuum officium Prioratus exercuerit, nisi necessitas Generali, aut Prouinciali probata aliud persuaserit. Non sit fraudis

aut

aut malæ administrationis conuictus, vel confessus; si priuatus fuerit Prouincialis (absente tamen Generali) ad alterius institutionem procedat. Non possit Fratrem aliquem carceri mancipare nisi de Consilio Patrum Discretorum, exceptis tamen casibus in hisce cõstitutionibus expressis. Immobilia verò bona, & præciosa mobilia vẽdere non possit &c. A correptione Prioris nulla datur appellatio: si tamen correptus apud Prouincialem, vel Generalẽ id iniustè factum fuisse probauerit, sciat Prior se esse subiectum pœnæ suspensionis, vel depositionis ab officio pro excessus, & grauaminis qualitate. Nõ possit Prior, aut Procurator Conuentus quacunquè de causa etiam prætextu, quòd sint Creditores Monasterij, hoc est ratione administrationis tãtùm vendere necessaria pro victu Fratrum vsque ad nouã messem, & vindemiam sub pœna inhabilitatis perpetuæ ad huiusmodi officia. *Ad Cap. XXX. De Officialium Conu. qualit.* Inter Discretos numerẽtur etiam Sindicus, & Depositarius, & Baccalaureus Cõuẽtus in Monasterio in quo sit studium maius. Vbi non fuerint quinque Patres ad consulendum, & deliberandum per suffragia vnà cum Priore, vel cum eius Vicario, qui absẽte Priore habeat vocem inter Patres, licet alioquin non fuerit quadragenarius, vocentur Sacerdotes omnes loco Patrum Discretorum, ne deficiente eorum numero Conuentus regimen exerceatur Prioris arbitrio. Officiales Conuentus eligantur singulis annis intra mẽsem à celebratione Capituli Prouincialis. Inuentaria cõsignentur Officialibus, seù Custodibus, qui se subscribãt in lib. Inuentariorum, vt si quid eorum incuria defuerit, puniri possint Prouincialis arbitrio. Libri quoquè introitus, & exitus vnà cum alijs libris Conuentus præteriti temporis in loco tuto cõseruẽtur cũ alijs scripturis publicis, & quomodolibet ad ipsum Conuentũ spectantibus, vt cum opus fuerit, legi pos-

possint, & hoc sub pœna priuationis officij Prioratus, & inhabilitatis ad quæcunquè officia per quinquennium. Libri administrationis Conuentuum vnitorum cum completi fuerint, deferatur ad Conuentum principalem, ibiquè asseruentur; cæterorum verò Conuentuum siue maiorum, siue minorum Priores prædecessores teneantur Inuentaria, & libros omnes administrationis in fine officij consignare, aliaquè omnia iura Monasterij coram testibus, & per scripturam, quàm requisiti exhibere possint, sub pœnis de quibus supra: Non liceat alicui fratrum quicunquè ille sit, nequè etiam Procuratori, nisi pro expensis ordinarijs, & quotidianis quoad obsonium debitum contrahere absq; consilio, & consensu discretorum Patrum, sub pæna priuationis vtriusq; vocis per triennium. *Ad Cap. XXXI. De officio, & potestate Vic.* Vicarij Generales, qui trāsmitti solēt in Hispaniā, Galliā, Germaniā, Corsicā, & Sardiniam, nō concedant facultatem Fratribus inde abeundi, neque etiam eos dimittant nisi consulto Generali. Insuper caueant sub pœna inhabilitatis perpetuæ ad quoscunquè gradus, & dignitates, & priuationis eorum, quos forte obtinēt, ne Cōuersis Coronam clericalem, & dimissorias ad ordines suscipien. concedant, neq; clericos alterius Prouinciæ ordinari permittant, absque Generalis, vel saltem suorum Prouincialium dimissorijs, nisi ibi per aliquod tempus notabile, idest saltem per annum resederint. Quorumcunquè verò Vicariorum officium vacare intelligatur vacante officio substituentium, quod si vacauerit officium Prioris quacunquè de causa, tunc dignior primum si adsit, sin minus Senior Conuentus regimen (tenendo tamen locum suæ professionis, aut gradus) suscipiat donec per Generalem, aut per Prouincialem prouisum fuerit. Vicarius quoquè generalis eam in Capitulo prouinciali, quàm in visitatione possit

ſit vices ſupplere ipſius Generalis, etiam quo ad dimiſſorias Sac. Ordinum,& ad quæcunq; alia,quæ facere poſſet ipſe Generalis,ſi adeſſet, niſi huiuſmodi auctoritas ab ipſo Generali fuerit reſtricta. Si Prior Generalis extra Italiam pergat,poſſit Vicarium in vniuerſa Italia ſubſtituere. Commiſſarij Generales, aut Prouinciales ad cauſas quaſcunque deputati non vocentur Vicarij, nec poſt publicationem litterarum Commiſſorialium teneãt locum, niſi quem obtinent à profeſſione, vel à gradu perſonali. Vicarij pariter Prouinciales, qui inſtitui ſolent in abſentia Prouincialis, eodem modo ſe habeant in obtinendo loco; Supremum tamen tenere poſſint per id præciſum temporis ſpatium, quo aliqua neceſſaria occurrerit functionis cauſa,qua expleta redeant ad locum ſuum.Si contingat Priorem, eiuſq; Vicarium à Conuentu abeſſe, Fratres per id tempus parere teneantur digniori primùm (ſi adſit) ſin minus ſeniori. *Ad Capitulum XXXII.* De Viſitationibus. Teneatur Generalis ſaltem in toto ſui regiminis tempore viſitare omnia loca cuiuslibet Prouinciæ cum Prouinciali,& Socio earũdem. Inter alia requiratur, an ſit, & rectè cuſtodiatur Archiuium Conuentus. Examinentur Studentes de licentia tamen Generalis, quãdo per ſe,vel per ſuum Vicarium non viſitauerit, minimè autem ſine illa,& qui non profecerint, etiãſi fuerint Baccalaurei, vt ſupra Capitulo de Studentibus,priuentur de mandato eiuſdem Generalis nomine, & priuilegijs ſtudentium,aut Baccalaureorum.Verbum pſalterium vertatur in pſalmos graduales bis recitandos.Teneatur Procurator ipſam ſchedulam ſubſcribi facere ab ipſis Viſitatoribus, eamq;, cum rationem reddet, producere, aliàs expenſæ illæ à PP. non admittantur. Non libeat Superiori-

bus finita visitatione aliquē molestare occasione eorum, quæ in Visitatione habita fuere, nisi causa aliqua occurrerit, quæ in Visitatione expediri non potuerit, quam tamen teneantur quamprimùm terminare, aliàs Generalis ipse prouidere possit. Debeant Visitatores ipsi requirere, & rationes diligēter inire circa sumptum frumenti, vini, olei, & aliorum id genus; Priorem, si plus iusto dictarum rerum (habita ratione, familiæ, quæstus, & aduenarum, de quibus liber proferri debebit, nempè eleæmosinarum & aduenarum) in sumptum fuerit, punientes, prout in Capitulo de grauiori culpa. *Ad Capitulum XXXIII. De leui culpa.* Prior mittens supradictas correptiones (si in visitatione id compertum fuerit) publicè corrigatur. *Ad Capitulum XXXIV. De graui culpa.* Peccat grauiter ludens cum sæcularibus extra Monasterium ludo licito, nam illicito ludēs tam extra, quàm intra Monasterium pęna grauiori puniri debet. Prior, si in visitatione, vel extra conuictus fuerit, quòd sciēter prędictas pœnas executioni non demandauerit, suspendatur ab officio per mensem. *Ad Capitulum XXXV. De grauiori culpa.* Qui litteras aliorum Fratrum aperuerit, aut intercceperit, is voce actiua, & passiua per triennium careat. Qui res Conuentus dilapidauerit, aut malè administrauerit, per triennium quauis administratione priuatus existat, & quamdiu damnum non resarciuerit, vtraq; voce careat. Qui male domum administrauerit, ita vt plus iusto consumi permiserit, vel fruges Monasterij vēdiderit, vel emerit minùs canonicè, vel Domum sibi commissam rebus necessarijs desertam reliquerit, aut æs alienum absq; necessitate ædificij, siue restaurationis, vel non vrgente extraordinariæ impensę necessitate cōtraxerit, careat omni administratione per decenniū,

&

& vtraq; voce quoad omnimodam satisfactionem. Qui negotia sæcularia etiam propinquorum gesserit, exulet à Conuentu, in quo erit, & per biennium à Conuentu voce actiua priuetur. Qui aliquem cum sanguinis effusione percusserit, aut vulnerauerit, carceri mancipetur per mensem, & qualibet sexta feria per idem tempus ieiunet in pane, & aqua; si verò Clericum, vel laicum conuersum percusserit, per Prouincialem, siue per eius delegatum ab excommunicatione (si id humiliter petierit) absoluatur, graui aliqua pœnitentia per idem tempus arbitrio Prouincialis imposita, subiturus etiam pro qualitate delicti alias pœnas grauiores. Qui aleis, vel taxillis ludere depræhensus fuerit, præter pœnas alibi memoratas, à Conuentu exulet per biennium; si verò id acciderit extra Monasterium, & cum sæcularibus, pœna duplicetur, cum priuatione officij, etiã si (quod censetur à dignitate alienum) Prouincialis sit. Qui Fratrem armis, vel fuste inuadere ausus fuerit, is veniam petere cogatur, & accepta publica disciplina, ab eo Conuentu exulet per triennium. Qui aliquem libello infamauerit, is infamia perpetuò notetur, & carceri mancipetur per mensem. Qui sententiæ grauioris, & grauissimæ culpæ non obtemperauerit. Qui incorrigibilis fuerit in idem crimen recidens, vel ter delictum cum scandalo commisisse depræhensus fuerit. Qui arma prohibita apud se retinuisse inuentus fuerit. Qui aliquem grauiter, & lethaliter vulnerauerit non prouocati, hi omnes ad triremes per id temporis, quod delicti grauitas postulauerit, condemnentur. Qui Prouinciali insultare ausus fuerit, publicè veniam petat; & exulet à Prouincia per sexennium, vel etiam; si id magis Superioribus videbitur expedire, Fratres ipsi incorrigibiles ab

Ordine nostro quoadusq; resipuerint, expellantur, seruata tamen forma in decreto Sac. Cong. Concilij de mente Sanctiss. D. N. Vrbani Papæ VIII. die 21. Septemb. 1624. de regularibus Apostatis, & eiectis emanato. Infames verò cuiuscunq; generis à sola Sede Apostolica restitui possint, vel à Generali vnà cum Definitoribus generalibus in Capitulo generali, & durante infamia, possint nihilominus assumi (vt alibi dictum est) ad officia oneris, exceptis omninò ijs, propter quæ condemnati fuere.

Ad Cap. XXXVI. De grauissima culpa. Atrociora crimina ità à Religiosis viris aliena censentur, vt nec pœnas criminibus debitas ferè liceat inter eosdem nominare: Sed quia humani generis hostis super Sanctimoniæ triticum vitiorum quandoq; zizaniam superseminat, idcircò si casus atrociores, vel facinorosi in hisce Constitutionibus nõ expressi contingant, Superiores in infligendis pœnis, iuxta sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum decreta (personarum habita ratione, factiq; circumstantijs inspectis) procedant, & si quod delictum occurrat, pro quo in sæculo pœna capitalis delinquenti imponi solet, pœna triremium, vel perpetui carceris puniatur. Si quis clericus vulneratus, aut mutilatus fuerit, ille, qui vulnerauit, absoluatur à Priore generali, vel ab eius delegato (si tamen reus id humiliter petierit) salutari eidem pœnitentia imposita. Si quis fuerit inobediens Prouinciali per minus tempus, quàm per mensem, is leuiùs à Generali puniatur, habita tẽporis, & cõtumaciæ ratione. Ei verò, qui fuerit inobediens Generali per idem tempus, infrascripta pœna ab ipsomet Generali duplicetur, remissio autem pœnæ (eadem adhibita moderatione respectu temporis, vt dictum) non peti possit, nisi

in

in primo Capitulo generali. Qui secreta Religionis reuelare præsumpserit, vltra sententiam excommunicationis ipso facto incurrendam; à qua solus Generalis absoluere possit, exulet perpetuò à Prouincia, suscepta prius publica disciplina, careat vtraq; voce per quinquennium. Et si fuerit Clericus, insuper priuetur corona clericali per triennium. Si Conuersus, ei vltra exilium, & disciplinam, auferatur Patientia, & Scapulare per triennium: Si oblatus, aut commissus, eijciatur à Religione; quas pœnas contra reuelantes Generalis tantum paulatim, ac elapso saltem anno possit remittere. Per secreta Religionis intelliguntur omnia, ob quorũ reuelationem Religioni, Prouinciæ, aut Conuentui, aut particulari personæ graue damnum, præiudicium, vel detrimentum euenire possit. *Ad Capitulum XXXVII. De Iudicijs.* Non procedatur ad instantiam alicuius, nisi partes suscipiat Accusatoris, vel Denũciatoris, neq; etiam super litteris clausis, & obsignatis fundari possit processus, vel Iudicium, nisi scriptæ sint per modum querelæ, multò minus super litteris interceptis. Si appellatio intra decem dies post latam sententiam, & intimatam interposita fuerit, admittatur. Appellatio non impedit executionem sententiæ, iuxta antiquam Constitutionem, nisi in grauissimis pœnis, veluti est condemnatio ad triremes: tunc enim pendente appellatione legitimè interposita, executio sententiæ est suspendenda. Ordo autem appellationis sit à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Definitores futuri Capituli generalis, vel ad Eminentiss. Protectorem, si adsit, seu ad Sanctam Sedem Apostolicam immediatè. Quòd si quis ad alios, quicũq; illi sint, appellauerit, excommunicationem latæ sententiæ incurrat, à qua absolui non possit, nisi à Summo

Pont.

Pont. prout in Const. fœl. recor. Clem. Pap. VIII. edita 15. die Februarij 1593. Pontificatus anno Tertio. Iuristæ sæculares, si non adsint periti in Religione, adiri poterunt de licentia Iudicis, qui teneatur illam concedere, præscribendo, vt primùm Iuristam Ecclesiasticum, deinde laicum, si Ecclesiasticum non inuenerit, adeat. Nullus Frater ob quantumuis flagitiosum crimen proijciatur ab Ordine, iuxta formam Decreti Sac. Congreg. Eminentiss. Cardinalium Conc. Trid. interpretum editi die 21. Septembris 1624. de Apostatis, & eiectis. Cum autem contigerit Prouincialem aliquem Fratrem ab eo sententiatū, vel cui pœnitentia salutaris impòsita sit aliò transmittere; Teneatur Prouincialis illius loci Priorem certiorem facere de sententia, & de pœnitentia. De excessibus autem grauioribus, aut grauissimis processus per Superiores cōfecti, & sententiæ desuper latæ, necnon & acta Visitationum non possint apud Fratres priuatos, licet plim aliquo publico munere functi fuerint, custodiri, sed in qualibet Prouincia deputetur in insigniori Conuentu Archiuius, seù locus tutus, in quo omnia præmissa reponantur, cuius custodiæ aliquis Frater præficiatur insignis integritatis, & bonitatis in Capitulo Prouinciali deputandus, qui teneatur, quandocunq; opus fuerit, ex mandato Superiorum in scriptis facto, & non aliàs tradere copiam scripturarum suæ custodiæ traditarum; subscriptioniq; eius de concordantia cum originali integra fides adhibeatur. ipse verò iuret in manibus Generalis se fideliter custoditurum, & acturum, quæ ad hoc officium spectant, sint autem huius loci tres claues, quarum vna sit apud Priorem Conuētus, altera apud Procuratorem, tertia apud eundem scripturarum custodem, seù Archiuistam. Prouinciales autem

post

post cuiusq; Capituli celebrationem, processuum in praecedenti anno formatorum, & sententiarum latarum in dicto loco reponant, & Iudices Commissarij à Generali, vel Prouinciali deputati, cùm primùm officio functi fuerint acta, & agitata coram ipsis similiter reponere teneātur. Omnium autem scripturarum fiat in libro aliquo authenticum Inuentarium, in quo manu Prouincialis, vel Iudicis deponentis scripturæ depositæ nominentur, teneaturq; Custos illi petenti fidem de receptione in scriptis referre. Quòd si Custos aliquos processus lacerauerit, vel sustulerit, aut quomodolibet vitiauerit, vel exemplum sine mandato vt supra tradiderit, perpetua infamia sit notatus, voceq; actiua, & passiua semper careat, & sententiam excommunicationis incurrat, reseruata absolutione generali, vel eius delegato. Loca verò, in quibus Archiuia huiusmodi erigi debent, sunt infra, videlicet in Prouincia Tusciæ, Conuentus D. Annunciatæ de Florentia, in Prouincia Romandiolæ Conuentus Seruorum de Bononia, in Prouincia Lombardiæ Conuētus Seruorum Mediolani, aut Regij, in Prouincia Marchiæ Taruisinæ, Conuentus Seruorum de Pātauia, in Prouincia Venetiarum Conuentus Seruorum de Venetijs, in Prouincia Mantuana Conuentus S. Georgij de Bononia, in Prouincia Genuæ Conuentus Seruorum de Ianua, aut Pogiæ, in Prouincia Neapolit. Conuentus S. Mariæ de Partu Mergellinarum de Neapoli, in Prouincia Cathaloniæ Conuentus S. Mariæ boni successus Barcinonæ, in Prouincia Narbonensi Conuentus Diuæ Annunciatæ de Marsilia, in Prouincia Sardiniæ Conuentus S. Antonij de Saxari, in Prouincia Corsicæ Couētus D. Annunciatæ de Centurio, in Prouincia Germaniæ Conuentus S. Ioseph de

Oeni-

Oeniponti. Præter hæc habeatur etiam Romæ in Conuentu S. Marcelli Archiuium generale, in quo asseruẽtur omnia iura publica ad totam Religionem ſpectãtia, prout ſupra in Cap. XXIV. præſcribitur, huiuſq; Archiuij cuſtos ſit Procurator Ordinis in Rom. Cur. pro tempore exiſtẽs, cui per Inuentarium omnia in Archiuio contenta à prædeceſſore fideliter conſignentur, eodem Procuratore generali dicto Inuentario ſe ſubſcribente. *Ad Cap. XXVIII. De Apoſtatis.* Si quis fugerit (habitu tamen retẽto) à Priore, nec ſe Prouinciali termino decem dierum, vel à Prouinciali, nec ſe Generali termino quindecim, vel à Generali, nec ſe coram Sancta Sede, vel Eminentiſs. Protectore termino vnius menſis prẹſentauerit, pẹnam excommunicationis non incurrat, niſi animum apoſtatandi à Religione habuerit, ſed tamen cæteris apoſtaſiæ pẹnis eo ipſo ſubiaceat. Si quis autem leuitate ductus abſque animo apoſtatandi (habitu retento) ab obedientia Superiorum ſe ſubtraxerit, nec ſe præſentauerit Prouinciali termino quindecim dierũ, vel Generali vnius menſis termino, licet excommunicationem non incurrat, pẹnis tamen Apoſtaſiæ ſubiaceat. Si verò prætextu grauaminis etiam retento habitu fugerit, nec ſe in dicto termino nimirum dierum 15. Prouinciali, & menſis vnius Generali, vel Protectori præſentauerit, omninò pro Apoſtata habeatur, ac ſi habitum dimiſiſſet. Ita autem ſic præſcribitur, ne Fratres anſam vagandi accipiant, cum poſſint grauamen ſuum maioribus Superioribus per litteras ſignificare. Quòd ſi periculum ſit, vel carceris, vel alterius grauaminis, quod reparari nõ poſſit, niſi perſonaliter ad Superiores huiuſmodi recurrat, nullaq; ſubſit grauaminis cauſa, tunc petita, licet non obtenta à Priore licẽtia, poſſit in termino decem

die-

dierum Prouincialem adire. Dispensatio fiat in Capitulo generali per solos Definitores generales, non per totũ Capitulum. Apostata autem non recipiatur, nisi à Generali, Prouinciali, & Socio, si fuerint præsentes; si verò Apostata se præsentauerit Prouinciali tantũ, Generali longè existente, vel è contra, tunc recipiatur ad carcerem, & Superior, cui se præsentauerit, alterũ cum Socio certiores faciat, vt tres simul, vel personaliter, vel per litteras quid sit agendum deliberet, recipiatur autem in quacunq; Prouincia. Non possit, qui fuerit Apostata, assumi ad Generalatum, Prouincialatum, neq; ad officium Definitoris Generalis, nec ad officium Procuratoris Ordinis, neq; Socij. *Ad Cap. XXXIX. De ordine seruando.* In Capitulo Prouinciali priùs assideat Generalis, siue illius Vicarius, deinde Procurator Generalis, si interfuerit, iuxtà decretum appositum in Cap. XLI. de Cap. Prouinciali. Cum permultæ exortæ fuerint contentiones circa præcedentias, Patres hunc ordinem seruandum esse pro declaratione Constitutionis sanxerunt. Magistrorum locus sit post Priorem Conuentus, & inuicem se præcedant secundum tempus suæ promotionis: qui autem simul promoti fuerint, se præcedant, sicut & ante promotionem. Baccalaureus Conuentus immediatè sequatur Magistros, reliqui Baccalaurei non præcedant quinquaginta annis maiores, & inter se seruent ordinem promotionis; qui verò simul promoti fuerint, quemadmodum ante promotionem, ita & post eam se præcedant, hoc est iuxta tempus promotionis ad ordinem Presbyteratus, Sacerdotes autem inter se ordinem seruent secundum tempus suscepti Sacerdotij, Diaconi Diaconatus, Subdiaconi Subdiaconatus, & qui simul fuerint ad prædictos tres ordines maiores, se præcedant secundum tempus emissæ professionis, similiter pe nes idem tempus emissæ professionis reliqui se præcedant.

 Ita

Ita tamen, vt futuri clerici, & clericalem deferentes Coronam, postquàm professionem emiserint, Conuersos præcedant. Quando Priores duorum Conuentuum in eadem Ciuitate simul ierint in processionibus, teneant vltimum, & digniorem locum post alios, præcedente inter eos Priore Conuentus principalioris, iuxta decretum Capituli Gener. 1625. ac Priores omnes extra proprium Conuentū teneant semper locum suæ professionis, aut gradus, quem obtinent, nimirum Baccalaurei Baccalaureatus, aut Magisterij. *Ad Cap. XL. De Capitulo Conuentuali.* Quando congregatur Capitulum Conuentuale ad aliquid deliberandum, perlegatur caput rei peragendæ: Prior commendet orationibus Fratrum etiam Procuratorem Ord. vltra Eminentiss. Protectorem. Si nullus remaneat electus ad aliquod officiū, Prior prouideat vsq; ad visitationem, quo tempore denuo præsentibus Visitatoribus aliquis de more proponatur; quòd si nullus electus remaneat, prouideat Prouincialis. Cum verò inter Patres Discretos aliquid tractandum occurrerit, illi teneātur ad nutum Prioris interesse, si tunc fuerint præsentes in eodem Conuentu, nec aliquo graui negotio per Priorem probando fuerint impediti, aliàs si neglexerint, remoueantur à Prouinciali de numero Patrum Discretorū. Vt autem omnis officiorū ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione tam pro se ipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicunq; secus fecerint præter alias pœnas, & censuras hactenus cōtra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunq; pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à Rom.

Pont.

Pont. & pro qualitate culparum grauiùs etiam plectantur, quæ etiam pœnæ ad complices, & simpliciter scientes, & nõ reuelantes extendantur, hoc autem locum quoq; habeat in Capitulo Prouinciali. *Ad Cap. XLI. De Capitulo Prouinciali.*

Capitulum Prouinciale per tres menses ante vocalibus intimetur, intra quod temporis spatium absoluãtur causæ, sin minus potuerint absolui, vocalis, contra quem cępta fuerit causa, & non absoluta, non exeat de loco Capituli, sed vocem cum cæteris habeat, dummodò primùm cõstiterit Generali, vel eius Vicario ratio causæ non terminatæ, & ab ipso tanquam legitima probata fuerit. Procurator Ordinis, & Regentes vocem habeant vel in propria Prouincia, vel in ea, in qua degunt. Definitores Prouinciales Magistri non eligantur, si in præcedenti Capitulo eodem munere functi fuerint, id tamen intelligatur, si alij Magistri, qui possint esse Definitores, reperiantur in Capitulo, & deficiẽtibus Magistris in ea Prouincia etiam Baccalaurei eligi poterũt loco Magistrorum. Magistri Nouitiorum, & Iuuenum professorum, nec non Confessarij Monialium, & Curatores animarum, scilicet Curati animarum officio fungentes eligantur in Capitulo Prouinciali: Et insuper tres saltem examinatores ex peritioribus, qui admittendos ad prædicationem Verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent priùs, quàm probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur: horum etiam sit examinare, & probare tam quoad Doctrinam, quàm quoad mores promouendos ad quoscumq; ordines, nec liceat reseruare electionem Prioris alicuius, aut Magistri Nouitiorum in pectore Prouincialis, nisi de consensu Definitorum. Officiales, qui electi fuerint absentes, fidei professionem faciant quamprimùm in manibus Prouincialis, vel alterius ad hoc deputati

antequam officio fungantur. Ex illo Conuentu, vbi fuerint ad minus Duodecim professi vocales, eligi possint discreti duo expensis publicis illius Conuentus ad Capitulum mittendi; Vbi verò non fuerint Duodecim, sed supra quatuor, itaut quatuor sint vocales, vnus tantum discretus mitti possit. Electio Discretorum fiat intra octo dies ante Capitulum immediatè, vel intra sexdecim dies in Prouincijs, quæ magis patent, quo tempore nulla fiat Fratrũ mutatio per Prouincialem. Superiores verò non possint aliquem Fratrem propè Capitulũ voce priuare, nisi causa terminata per sententiam definitiuam, ante tres menses Capitulum Prouinciale præcedentes, dummodò intra illud tempus nouus casus non emerserit, cui huiusmodi priuatio de iure debeatur. In Capitulo Prouinciali de triennio in triēnium semper eligatur Definitor generalis, etiam si non debeat celebrari Capitulum generale, nisi de sexennio in sexennium, iuxta constit. fœl. rec. Pauli PP. V. & confirmat Sanctiss. D. N. PP. Vrbanus VIII. vt dicitur infra. Locus Capituli eligatur à Prouinciale de consensu tamen Generalis. Vicarij Priores vocem nō habeant in Capitulo Prouinciali, nisi instituti fuerint à principio ob vacationem quacunq; de causa iam electi adepta, vel non adepta Prioratus possessione, & id intra mensem à die dictæ electionis. Priores omnes Conuentuum Prouinciæ, si soli alicubi maneant, non accedant ad Capitulũ, nisi prius aliquem Sacerdotem ibidem celebraturum constituerint, ne Ecclesia sacrificio destituatur. Si secus fecisse constiterit, nedum vocem non habeat in illo Capitulo, sed per biennium vtraq; voce careat, & officio, quod obtinet. Definitores Prouinciales fungi possint extra Capitulum officio suo, quando necessitas postulauerit, vsq; ad annum sequentem, non tamen extra ipsum Capitulum teneant locum præcedentiæ. Definitor generalis, qui non potest

teſt eſſe, ſi in præcedenti Capitulo eodem munere functu fuerit &c. ſic intelligi debet, vt reuera vocem habuerit, & ſuffragium tulerit in dicto Capitulo Generali. Si Capitulũ Prouinciale occurrat in die feſto, Miſſa pro defunctis deferatur in ſequentem diem non impeditam, iuxta decretum Cap. Gen. 1625. Electio Prioris Prouincialis, Socij, & Definitoris generalis fiat ad trienniũ. Priores in Conuentibus non Collegiatis tunc prorogari poſſint, ſi conſtiterit Patribus Definitoribus de inſigni beneficio ab ipſis recognoſcẽdo, & approbando. Prouincialis in viſitatione Conuentuum S. Marcelli de Vrbe, & S. Mariæ Mergellinarum Neapolis nihil circa Priores tantùm inconſulto Generali, à quo deliberationem expectet, decernere audeat. Nõ poſſit eligi pro Diſcreto, ne dum Syndicus, aut Procurator. Electio autem Diſcretorum intimetur per tres dies ante ipſam, pro qua habenda Prior teneatur ſemper ſtatuto tempore Capitulũ Conuentus congregare, illiq; Diſcretorum electionem proponere. *Ad Cap. XLII. De Cap. Generali.* Capitulum Generale celebretur de ſexennio ad ſexennium ex Conſt. fęl. rec. Pauli PP. V. data die 16. menſis Maij 1619. Pontif. ſui anno 14. & Vrbani VIII. die 19. Decẽb. 1633. loco, & tempore per Priorem Gener. ſtatutis, intimeturq; per litteras patẽtes ab eodem Generali ad omnes Prouincias tranſmiſſas per decem mẽſes ante, niſi aliter neceſſitas poſtulauerit, & nullũ Cap. Prouinciale ſimul cum eo celebrari poſſit, niſi aliud ſimiliter neceſſitas ſuadeat. Prælegatur Capitulum de qualitate, & requiſitis eligẽndi, nulla exceptio contra Generalem, aut contra Procurat. Ord. eligendum admittatur, niſi cauſa per tres menſes introducta fuerit coram Ordinis Protectore, ſi adſit, vel coram Sede Apoſtolica, aut niſi exceptionum probationes ita in promptu ſint, vt per Definitores generales cauſa intra vnum diem terminari poſſit. Id ipſum

in Capitulo Prouinciali fiat circa exceptiones contra Prouinciales eligendos in dicto Capitulo, coram Generali, vel eius Vicario,& etiam contra Priores pariter in dicto Capitulo eligendos coram Prouinciali. Generalis non possit denegare Vocalibus passiuis facultatem accedendi ad Capit. Generale. Quoniam Prouinciæ tres .s. Narbonensis, Corsicæ, & Sardiniæ, simul Tyroli,& Bohemiæ, ita simul(Hispaniæ namq; Prouincia inter maiores, reseruata tamen præcedentia Prouinciæ Narbonensi connumerata est) ob paucitatem Conuentuum, & longinquitatem itineris nimiùm defatigarentur si singulæ tres Fratres mitterent, satis erit, si vnaquæq; earum publicis expẽsis mittat vnum suo nomine vocalem, qui sit Prouincialis, vel Socius, aut alius cum mandato in forma authentica ipsius Prouinciæ, nec alius recipiatur, neq; habeatur pro vocali. Ad euitãdam autem cõtentionum occasionem,in vno Capitulo Generali vocem habeat vocalis Corsicæ, in altero autem Sardiniæ vocalis, quem ordinem seruent quoq; Tyrolus, & Bohemiæ. Vocales passiui liberè ad Capitulũ Generale accedere possint, consulto priùs Generali, qui tamen licentiam denegare nõ possit. Generalis officium deponat in manibus primi Definitoris, hoc est eius, qui secundum ordinem Prouinciarum successiuè locum obtinet, etiam si ille, qui primus vocatur, abfuerit. Præsentati ad gradum Generalatus, proponantur secundum ordinem Prouinciarum,quarum sunt filij,seruato inter illos ordine promotionis ad Magisteriũ;& proponantur etiam absentes. Quod si absens electus fuerit primus Definitor, teneat locum, & officium vsq; ad aduentũ electi. Proponãtur item(etiam absentes)eodem ordine,quo supra, præsentati ad officium Procuratoris Ordinis,si verò absens, qui electus fuerit Procurator Generalis,& etiam Generalis electus abfuerit, primus Definitor aliquem vsq; ad aduen-

tum

tum electi pro executione officij constituat, itaut (etiam si vocales discesserint ante accessum electi (mādatum procuratorium (quod etiam eodem absente in tali casu fieri debet, aut saltem in manibus publici Notarij præstari ipsorū vocalium consensus ad idem mandatum suo tempore conficiendū) vim habere intelligatur. *Ad Cap. XLIII. De Constitutionibus.* Decernimus, quod decreta quæcunq; hactenus in nostra Religione edita, neq; in Constitutionibus inserta, abolita, & irrita intelligantur. Et quoniam dubitari potest, an Constitutiones hæ aliquid præcipiendo ad culpam mortalem obligent, sciant omnes illas non obligare transgressores, ad peccatum mortale, si absit contemptus, vel transgresſio in consuetudinem non transeat, idque nisi quod præcipitur, aliquid ad Dei, Ecclesiæq; præcepta, vel ad trium votorum obseruantiam spectans contineat. Quia etiam non vbiq; apposita est transgressoribus pœna, illam teneantur Superiores pro modo culpæ irrogare, &c. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat dictus Angelus Maria Prior Generalis decreta huiusmodi, quo firmiùs subsistant, & inuiolabiliter obseruentur, Apostolicæ confirmationis robore communiri desideret. Nos, qui decreta huiusmodi à Vener. Fratre nostro Marcello Episc.
de Lante, & dil. filijs nostris Iulio tit. S. Susannæ Sacchetto, ác Francisco Maria Basilicæ Duodecim Apostolorū Presbyt. S.R.E. Cardd. Brancaccio respectiuè nuncupatis, necnon Marco Aurelio Maraldo in vtraq; Signatura nostra Referendario, ac Breuium nostrorum secretorum Secretario, & Prælato domestico nostro diligenter examinari, & reuideri iussimus, pijs dicti Angeli Mariæ Prioris Generalis votis, qua ntùm cum Domino possumus annuere, illumq; specialibu s fauoribus, & gratijs prosequi volētes, & à quibusuis excom muni cationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecle-

cle-

clesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absoluen. & absolutum fore censen. Supplicationibus eiusdem Angeli Mariæ Prioris Generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decreta pro inserta de mandato nostro, examinata, & reuisa, vt præfertur, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisq; inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos tam iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus. Decernentes Decreta huiusmodi alijs eiusdem Ordinis statutis, seu Constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis adiungi, & ab omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus inuiolabiliter obseruari, sicque per quoscunq; Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, vbiq; iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quocũq; quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nõ obstan. Constitutionibus, vel Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectũ dumtaxat specialiter, & expressè derogatus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscat. die 23. Februarij 1639. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Locus ✠ Sigilli.

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIONES ORDINIS FRATRVM SERVORVM BEATAE MARIAE VIRGINIS SVB REGVLA S. AVGVSTINI.

De Reuerentijs B. Mariæ. Cap. I.



QVONIAM Ordo Seruorum sub protectione speciali B. M. V. Deo militat, æquum est, vt eam specialibus obsequijs, & reuerentijs inter Diuina præcipuè prosequatur. Idcirco in quacunq; Ecclesia Ordinis nostri, sit Capella, siue Altare in honorem eiusdem B.V. dedicatum, & si commode fieri potest ad omnia Altaria adsit Imago aliqua ipsius, quæ tum in principio, tum in fine Missę de more salutari possit. Item in omnibus Ecclesijs sit

Altare, aut saltem Imago B. Philippi, cuius Festum celebretur vbiq; † Omni 4. Feria cantetur Missa B. M. V. votiua, nisi fuerit festum 9. Lect. aut feria Adu. Quadr. vel quatuor Temporum, aut Vigilia, & in ea dicatur collecta. Omnip. sempit. Deus, qui facis mirabilia magna solus. Pro Eminentiss. & Reuerendiss. D. Card. nostri Ordinis Protectore. Dicatur etiam quolibet Vespere, Vigilia B. M. V. cum tribus Lectionibus, & duobus Responsorijs; post tertiam verò Lectionem dicatur Salue Regina, sed feria sexta cantetur sicuti in dup. Festo. Antiphona Salue Regina quotidiè post Completorium deuotè, & absq; verborum repetitione cantetur, præterquam diebus Festis, quando cantari debet post Vesp. ob Populi deuotionem; † Eodem tempore cantentur, etiam aut legantur Lytaniæ B. V. pro locorum consuetudine cum Vers. in fine Ora pro nobis &c. Resp. Vt digni &c. & Oratione Pietate tua &c. prout in lib. Officiorum Ord. nostri, † & ad eam omnes Fratres de Conuentu, etiam Officiales, quamuis Prouinciales essent, omnibus negocijs omissis conueniant, atq; vt nullam habeant excusationem ad hunc effectum pulsetur Campana. † In principio cuiuslibet horæ (exceptis horis Officij parui B. M. V. quando dicitur in Choro) Hebdomadarius dicat alta voce Vers. Aue Maria gratia plena Dominus tecum. & Chorus Resp. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus. In principio quoq; Missæ ante ℣. In nomine Patris &c. eadem verba dicantur à celebrante, Clerico respondente: & in fine Missæ dicat Sacerdos Antiphonam Salue Regina flexis genibus, etiam tempore Paschali, cum Vers. Ora pro nobis &c. sine Alleluya, mox surgens dicat Orationem, Omnip.

semp.

femp. Deus, qui gloriosæ &c. Officium paruum B. M. V. dicatur in Choro secundum ordinationem Breu. Rom. & quibus diebus in Choro non dicitur, persoluatur deuotè à Fratribus binis, aut pluribus pro locorum commoditate. † In persoluendo Officio paruo B. V. tam in Choro, quàm extra tēp. Paschale non dicatur Allel. nisi post Vers. Domine ad adiuuandum me festina. Qui ritus seruetur in recitanda, seu decantanda Vigilia eiusdem B. V. eodem tempore Paschali, & semper legatur, aut cantetur cum tribus Antiphonis. Recolantur diebus Festis, pro locorum consuetudine Dolores B. M. V.

De Officio Ecclesiæ. Cap. II.

MISSÆ, Matutinum, Horæ Canonicæ, & alia Diuina Officia secundum Ordinem Rom. Ecclesiæ (& iuxta regularia Ord. nostri instituta) suo debito tempore persoluantur. Ita ut Matutinum Vespere præcedente nunquam dicatur; sed in omnibus Conuentibus post mediam noctem, & ante auroram semper cantetur, & non plana voce legatur: præterquam per Octauam Corporis Christi, vbi Vespere præcedentis diei iuxta cuiuscunq; Conuentus consuetudinem † cantandum erit. † Diuina verò officia omnia distinctè, deuotè, & morosè, ac clara, & intelligibili voce recitentur cum pausis, & punctis debitis, ita ut ab astantibus intelligantur (semper autem attentè, & etiam cum cantu solemni in diebus, quibus consueuit, celebrentur) Quando autem fiunt commemorationes de SS. Apostolis Petro, & Paulo, fiant etiã de S. Augustino, & B. Phi-

Ex Bulla Refor.

Ex Bulla Refor.

lippo, nec non de Sanctis Protectoribus locorum, in quibus situs est Conuentus: In Missa quidem in oratione A cunctis: in Vesperis autem, & Mattutino pluribus Antiphonis, & Orationibus de proprio, vel communi desumptis, pro Conuentuum consuetudine; † & si Ecclesia fuerit dicata Angelis, vel S. Io. Baptistæ, horum commemoratio præcedat commem. Apostolorum Petri, & Pauli: † Fiat Officium dupl. cum Octaua in Festis Purificationis, Annunciationis (extra tempus Quadr.) Visitationis, Præsentationis, & Conceptionis B.M.V. In Festis item S. Augustini, & B. Patris nostri Philippi, in cuius honorem sit in qualibet Ecclesia, Capella, vel Altare, sine Octaua vero in Festis S. Petri mar. BB. Ioachimi Senensis, & Peregrini Foroliuiensis Confessorum, S. Monicæ Matris S. Augustini: Quolibet Sabbato extra tempus Adu. Quadr. & Vigiliarum, Festo nouem Lectionum nō impedito, Officium recitetur de B.V. sub ritu semid. prout in libris Officiorum Ordinis nostri adnotatur. In omnibus alijs seruetur ordo Breuiarij Rom. & Missalis Rom. Campana pulsetur ante Missam, & Horas Canonicas iuxta locorum consuetudinem. Luminaria quoq; saltem duo accendantur semper, dum Missæ, & alia Diuina Officia celebrantur. † Celebraturi euntes ad Altare, & redeuntes grauiter incedant, tecto capite, non bireto, sed amictu. In Confessione non liceat alicui ex deuotione alicuius Sancti nomen inserere, Missa Conuentualis quotidie cantetur in Conuentibus præsertim Collegiatis, hoc est, vbi saltem duodecim sunt de Familia; † eiq; intersint Fratres omnes de Conuentu, tàm Clerici, quàm Laici, publicis negocijs non impediti. Qui verò ob legitimum impedimentum interesse nequi-

nequiuerint, vel celebrent, vel priuatam Missam audiant. Vnicuiq; Sacerdoti (exceptis Superioribus, Prædicatoribus, & Regentibus) assignetur hora celebrandi. Quolibet Mense prima die non impedita cantetur Missa Conuentualis de Spiritu Sancto, vel de Domina pro Benefactoribus, pro necessitatibus, & augumento Religionis, & singuli Sacerdotes ob eandem causam celebrent, si alia obligatione non sint impediti, vel saltem orent in Missæ sacrificio, & in priuatis exercitijs spiritualibus. Horis, etiam Canonicis diurnis, atq; nocturnis omnes Clerici (etiam Superiores, & quicunq; priuilegiati) intersint, nisi qui fuerint publicis negocijs rationabili causa impediti, quibus eo tempore, quo actu in negocijs Conuentus, & Ordi occupati sunt, aliquid remittatur, † cum Lectoribus, etiã, & Predicatoribus, Superiores ijs tantũ diebus, quibus actu legunt, vel prædicant dispensare possint, idem quoq; præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitime impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœna Superiores animaduertant ad præscriptum Const. alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione. † Nec satis habeat quæq; Domus Missas, siue fundatione, siue statuto, siue consuetudine debitas, vel præscripto Superioris designatas dumtaxat celebrasse; sed Fratres omnes Sacerdotes Missam, etiam non adstricti frequentissimè celebrent; Sciantq; omnes, quod in Sacris Ord. constituti, & qui professionem emiserunt horas Canonicas, quotidie recitare tenentur, ideo curabunt nequaquam prætermittere Diuini Officij celebrationem. Si verò, (quod absit) publicè notati fuerint, vel quod Breuiaria secundum Ordinem Rom. non habeant, vel quod fre-

Ex Bulla Refor.



quenter Diuinum Officium omittant, vel quod rarò Missam celebrent, & ter admoniti à Priore, se emẽdasse neglexerint, voce actiua, & passiua, atq; omni officio perpetuò priuentur. Nec publica negocia Conuentuum administratores excusabunt, quamuis .n. cum cæteris Choro interesse nequiuerint, priuatim tamen officium totum persoluere tenentur. Laici verò, & nescientes legere, Coronã Diuini Officij loco quotidie bis dicant, vt negotia Domi, forisq; commodius peragere possint; Missam verò Sacerdotes omnes secundum ordinarium Missalis Rom. deuotè, non nimia celeritate, aut tarditate, sed honesta mediocritate celebrent. Et in Commemoratione Fidelium viuorum Eminentissimi, & Reuerendissimi Protectoris, & Prioris Generalis meminerint, illosq; Deo commendent. Missaliq; Breuiario, & sacris Vestibus ad Diuina Officia peragenda, cæterisq; cærimonijs Fratres omnes cuiuslibet Conuentus vtantur secundum ritum, & morem S. Romanæ Ecclesiæ, Resq; Sacristiæ cuiuscunq; generis sint, nullo modo alienentur, nec pignori dentur, nec vllo modò accommodẽtur, sed solum Ecclesiæ propriæ deseruiant. Confessio in Prima, & Completorio fiat ab Hebdomadario, qui & Fratres aspergat aqua benedicta dum cantatur Salue Regina. In fine Completorij fiat commemoratio Defunctorum, cum Psal. De profundis Vers. Responf. & Oratione Absqlue. Qua finita omnes genuflectant versus Prælatum maiorem, & dicant Iube domne benedicere, & ipse det illis Paternã benedictionem; † Absente Generali, Prouinciali, aut Priore Conuẽtuali, Fratres benedictionem accepturi extra Chorum, vt pluribus in locis contingit, vertant se versus digniorem,


Ex Bulla Refor.

aut seniorē. Qua finita conueniāt omnes ad mentalem Orationem per dimidium horæ faciendam. Idq; etiam seruent quotidie per aliud horę dimidium post Officium Mattutinum. Cum verò Fratres ad Ecclesiam conueniunt Diuina Officia celebraturi, die, noctuq; integro habitu accedant induti. Et vt tollatur omnis scandali occasio, nemo tempore, quo Diuina Officia persoluuntur, per Ecclesiam, vel ante fores eius deambulet, nec stet pro Ianuis Sacristiæ, aut apud Chorum consideat vel per Ecclesiam transire audeat, sub pœna non exeundi septa Monasterij per duos Menses.

De mortuorum suffragijs. Cap. III.

CVM aliquis ex nostro Ordine, aut ex ijs, qui eius priuilegijs gaudent, ab hac luce migrauerit, Prior Conuentus, quamprimum id nunciet suo Prouinciali, qui omnibus Prouincialibus id significare teneatur. Prouinciales autem id nuncient omnibus Prioribus suarum Prouinciarum, quod cum ad notitiam illis peruenerit, pro defuncti anima in omnibus Conuentibus dicantur Vespere, Mattutinum, Laudesq; Defunctorum, & Missa Conuentualis, qua finita cantetur Responsorium, cui omnes Clerici, & Laici intersint, & quilibet Sacerdos, cum primum de obitu alicuius Fratris illi constiterit, tres Missas pro eius anima celebret, Clerici verò Officium Mortuorum, qui verò legere non norunt, duas Coronas B. V. dicant. Pro Summo Pontif. decantentur Vigiliæ Officium, & Missa pro defunctis solemniter cum Respon. & quilibet Sacerdos pro eius anima

ma tres Missas celebret, Clerici idem Officium etiamsi Choro interfuerint priuatim recitent, ignari verò literarum duas Coronas B. V. dicant. Quæ suffragia fiant, etiam pro Eminentissimo, & Reuerendissimo Protectore, pro Priori Generali, Procuratore Ordinis. Priore Prouinciali, & Conuentuali. Sacerdotes legitimè impediti si non potuerint celebrare tres Missas pro anima Defuncti, recitēt Officium Defunctorum, cum nouem Lectionibus, sic concessit Vrbanus VIII. sub Datum Romæ die 5. Nouembris 1633. Sacrista habeat librum peculiarem in quo adnotentur suffragia, & qui Missam cantauerit, in eo se subscribat. Anniuersaria Fratrum nostrorum fiant singulis quibuscumq; Mensibus. Anniuersaria verò Parentum nostrorum fiant die 14. Mēsis Ianuarij. Anniuersaria autem Benefactorū nostri Ord. fiant 17. die Mensis Septēbris. Modus verò celebrationis Anniuersariorum talis erit. Conuentualis cantetur Missa cum Respons. pro Defunctis. Quilibet Sacerdos Missam pro Defunctis celebret. Clerici totum Officium Mortuorum, qui legere non norunt, Coronam B.V. semel deuotè dicant; Deo commendantes Defunctorum animas. Quæ Anniuersaria, ne aliqua negligentia, aut obliuione omittantur, conscribantur in tabula, in qua reliquæ Conuentus obligationes pro Missis dicendis, aut Anniuersarijs celebrandis sunt descriptæ. Ipsa verò tabula conscripta appendatur in loco conspicuo Sacristiæ.



De

De Cæremonijs. Cap. IV.

INGRESSVRI Fratres in Ecclesiam ad celebrãda Diuina Officia prius in Capitulo, vel Sacrario congregētur, indeq; exeūtes ordinatè bini incedant. Et ingredientes Ecclesiam aqua benedicta se aspergant. Et cum peruenerint coram Altari, profundè se inclinent, & (si ibi fuerit Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum) genuflectant. Deinde singuli ad loca sua progrediantur. Et facto signo à Prælato inclinati profundè, aut genuflexi pro temporis exigentia, dicant Pater noster, & Aue Maria, atq; ad Matutinum, & Primam etiam Credo. Factoq; iterum signo à Prælato surgant. Tunc Hebdomadarius incipiat Officium omnibus ad Altare versis. Et cum Versiculus Deus in adiutorium dicitur, muniant se signo Crucis. Inclinent se profundè Choro ad Chorum verso, quoties dicitur Gloria Patri, & vltimus versus Hymnorum, & penultimus cantici trium puerorum, & vers. Sit nomen Domini benedictum. Et quoties nominatur venerabile nomen D.N. Iesu Christi, B. Marię semper Virginis, & Sancti, cuius Festum celebratur. In Missa pariter inclinēt se omnes in principio Cantici Angelorum. Gloria in excelsis Deo, & cum dicuntur versus Adoramus te, Gratias agimus tibi, Suscipe deprecationem nostram, & cum dicitur prima collecta, & collecta de Beata Virgine, tam ante Epistolam, quàm post Communionem, & in Præfatione cum dicitur, Gratias agamus. In singulis etiam Horis cum Oratio dici, aut Beatæ Virginis dicitur. Ex Ord. Miss. Ex Ord. Miss.

citur. In prima pariter, cum dicitur: Sancta Maria, & omnes Sancti. Lector quoque, aut Cantor quotiescunque Psalmum, vel Antiphonam cœperit, & postquam dixerit. Iube domne benedicere, profundè se inclinet. Cum verò dicuntur preces in Prima, & Completorio, & pariter cum dicitur, Pater noster, Aue Maria, & Credo. In fine Horarum omnes se inclinent. Genua verò flectant in ferialibus diebus ieiuniorum, cum in principio Horarum Pater noster, Aue Maria, vel etiam Credo dicitur. Cumque dicuntur preces vsque ad Orationem, quam Hebdomadarius stans dicit, alijs tamen genuflexis, Cum etiam dicitur legendo Salue Regina: quando verò cantatur, genua flectuntur vsque ad secundum Salue. (In Missis autem in diebus Ferialibus ieiuniorum, & in Missis Defunctorum genua flectāt omnes, cum dicuntur collectæ ante Epistolā, & post Communionem.) Singulis item diebus, quando legitur Offertorium, & post Orate Fratres, vsque ad Præfationem. Et dum eleuatur Sanctissimum Corpus, & Sanguis D.N.Iesu Christi vsque ad Pater noster, quod dum cantatur, stent omnes versi ad Altare, præterquàm in Missis ferialibus, & Defunctorum. finito Pater noster iterum genua flectuntur vsque ad Agnus Dei. In Missis autem priuatis genua flectant astantes semper, præterquàm dum legitur Euangelium. Genua item flectuntur cum dicuntur. Versiculi Aue Maris stella. Veni creator Spiritus. O Crux aue spes vnica. O salutaris Hostia. Tantum ergo Sacramentum. Quos pretioso sanguine redemisti. Et Homo factus est. Adiuua nos Deus salutaris noster. Veni Sancte Spiritus. Salue Sancta Parens. Et Verbum caro factum est. Et procidentes adorauerunt

Ex Ord. Miss.

ruūt eum. Et procidens adorauit eum. Et inclinato capite tradidit Spiritum. Et in fine Missæ, dum Sacerdos astantibus benedicit. Genua flectuntur etiam cum Fratres in Capitulo conuenientes Dei misericordiam implorant cum Psalmo. Deus misereatur nostri. Cumque suas culpas dicunt, aut veniam postulant pro iniurijs inuicem illatis. Et quando exeunt de Monasterio, vel reuertũtur genuflexi benedictionem petant. Quando vero Refectoriũ post factam benedictionem ingrediuntur, vel ante gratiarum actionem egrediuntur, in medio loci genua flectant; nec inde surgant, donec signum factum fuerit à Prælato; quod etiam seruare debent, quando post inchoatum Diuinum Officium Chorum ingrediuntur, & pariter cum in Choro, vel Refectorio, aut Capitulo legendo, aut canẽdo, siue aliquid aliud agendo offenderint. Nouitij, etiam Conuersi, cæterique ad Sacerdotium nondum promoti à mensa surgentes, & quotiescunque à Prælato sibi aliquid imponitur, genuflectant. Et quando aliquis orationem est habiturus, ante Prælatum genuflexus dicat, Iube domne benedicere. Dum autem Psalmi cantantur, alter Chorus stat, alter sedet, omnes autem stare debent, cum dicitur Venite exultemus Domino. Te Deum laudamus. Laudate Dominum de Cælis. Quicumque vult saluus esse. Cum etiam dicuntur Hymni, & Cantica. Benedictus, Magnificat, & Nunc dimittis. Officium Beatæ Virginis totum recitent Fratres stantes. In Missa autem seruatis inclinationibus, & genuflexionibus suprascriptis versi ad Altare stent omnes, præterquàm dum Prophetia, vel Epistola cantatur, aut legitur, itemq; dum cantatur Graduale, vel Tractus. Ex-

tra loca verò Ordinis nostri quilibet conformis fit in omnibus illorum cæremonijs, ad quos diuertit; ne illos spernere videatur. In Officijs autem Diuinis seruet ordinem Romanum, & Instituta Religionis.

De Confessione, & Communione. Cap. V.

Ex Bulla Refor.

VT humani generis hostis nihil de suo in Ordinis nostri Fratribus inueniat. Clerici ad Sacerdotium nondum promoti, Conuersi, & familiares omnes semel in hebdomada peccata sua confiteantur, & Eucharistiam sumant qualibet prima Dom. Mensis, & in pri. Dom. Adu. In die Natiu. Dom. & Epiphaniæ. In omnibus festis Beatæ Virginis. In prima Dominica Quadragesimæ. In die Cœnę, Resurrectionis, & Ascensionis Domini. In die Pentecostes, & Sacratissimi Corporis Christi. In festo Sanctorum Apostolorum, Petri, & Pauli, In die omnium Sanctorum, † atque in festo Beati Patris nostri Philippi. † Diaconi verò, & Subdiaconi sciāt maximè decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cum Altari ministrauerint, Sacram Communionem perceperint. Sacerdotes autem frequentiùs celebraturi meminisse debent comminationis D. Pauli; Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Moneanturque nihilominus à Priore, vt purgent crebrò Confessionis Sacramento Conscientiam, quod vnusquisque Sacerdos saltem quolibet die festo agere teneatur, & qui in diebus solemnibus repertus

Ex Conc. Trid. sess. 23. c. 13.


1. Cor. 11

fue-

fuerit Confessionem prætermisisse, tanquam grauis peccati reus seuerè puniatur; Atque vt commodiùs quilibet purgare possit animam suam, in omni domo, per Priorem Sacerdotes ad audiendas Confessiones Fratrum constituantur, † qui sint ex approbatis à Generali, & illis tantum, non alijs Fratres confiteantur peccata sua, alias Confessio sit nulla; excipiantur Prædicatores extra loca Religionis, Itinerantes, & alij quicunque non habentes copiam Confessariorum nostri Ordinis; ipsis namque permittitur, vt alijs Sacerdotibus ab Ordinario Diœcesano approbatis ex Regularibus si adsint, sin minus secularibus peccata confiteantur, † A quibus absolui poterunt ab omnibus peccatis, præterquàm à resseruatis Summo Pontifici, Priori Generali, Prouinciali, & Conuentuali. Casus verò reseruati Priori Generali sunt infrascripti. Crimen, propter quod Frater incurrisset irregularitatem. Homicidium. Veneni propinatio. Membrorũ mutilatio. Monialium violatio. Crimen pessimum perpetratum. Apostasia à Religione. Reuelatio Confessionis. Falsũ testimonium. Esus ciborum vetitorum tempore Quadragesimæ, & Vigiliarum sine legitima licentia. Rerum Sacrarum, & Ecclesiasticarum furtum. Ad Generalem, siue ad Prouincialem spectant. Blasphemia ex vsu, & consuetudine. Incestus. Concubinatus. Frequentatio Monasteriorum Monialium. Periurium. Possessio bonorum immobilium. Vsura. Celebratio à non ieiuno. Vulneratio Clerici. Reuelatio secretorum Religionis. Ad Generalem, vel Prouincialem, siue Priorem Conuentualem. Percussio, vel iniectio manuum violenta in Clericum, aut Fratrem Conuersum. Furtum rei prophanæ.

Ex Bulla Refor.

Vsus falsarum clauium Monasterij, vel Ecclesiæ, vel alicuius loci publici Conuentus. Omissio eorum, quæ sunt necessaria in Missarum celebratione. Lusus alearum, aut taxillorum. Crimen pessimum attentatum. Egressus à Monasterio sine habitu. Per hæc tamen non prohibetur, quin Prior Generalis, Prouincialis, & Conuentualis alios casus (prout ipsi viderint expedire) sibi reseruare possint, ad præscriptum Decreti Clem. VIII. sub datum Romæ die 26. Mensis Maij Anno Domini 1593. vid. Veneficia. Incantationes. Sortilegia. Apostasia à Religione, siue habitu demisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio Nocturna, ac furtiua è Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fætum, etiam effectu non sequuto. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus. Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. Lapsus carnis voluntarius opere consumatus. Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.



De Recipiendis ad Ordinem. Cap. VI.

NE Dei ministerio indigna offerantur, non recipiantur in Ordinem nostrum illegitimè nati, deformes, aut monstruosi, vel aliàs corpore vitiati, coniugati, bigami, serui, infames, ære alienò obstricti, incurabili infirmitate laborantes, excommunicati, irregulares, aut alijs pænis grauati, alterius ordinis paris, vel laxioris professi, Homicidæ, siue pro suis delictis, vel debitis Iustitiam sæculi fugientes, aut exulantes. † Non recipiantur maiores XVI. Annis, nisi in Capitulo Generali, aut Prouinciali iuxta Constit. Fel. Rec. Sixti Papæ V. qui tamen 18. non excedant recipi, possunt etiam in Visitatione ex Indulto Sanctiss. D. N. Vrbani Papæ VIII. & qui 16. excesserint, poni possint in secundo Nouitiatu (si id expedire videbitur) etiamsi professionem non emiserint, profiteri tamen debent Anno probationis completo. † Super quibus omnibus, & singulis fiat diligens inquisitio à Priore, & Patribus. Quod si super aliquo dictorum impedimentorũ fuerit quis conuictus mendacij, abijciatur ab Ordine, etiãsi fuerit receptus, si tamen nondum expressam emiserit professionem: & Prior, qui sciens talem proposuerit, Officio priuetur. Verum si proposuerit alterius Religionis professum, ipso iure priuatus, & inhabilis ad quodcunque Officium declaretur. Et priusquam aliquis recipiatur ad Ordinem, maneat sæculari habitu indutus in probatione per Mensẽ, † aut per minus spatium

temporis ad arbitrium Generalis in eo Conuentu, pro quo recipitur, si fuerit Collegiatus, si minus in quo sit Nouitiatus iuxta Decretum Clem. VIII. pro recipiendis, circa finem temporis sequentis. Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id Regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo, ac D.N. liberius famulari possint, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, & an eorum Parentes spe, & subsidio eorum indigentes destituantur. † Qua facta probatione, ei per Priorem, aut alium Patrem exponatur, ei austeritas Ordinis, abdicatio propriæ voluntatis, vilitas ciborum, vigiliæ nocturnæ, atque his similia. Et si perseuerauerit in proposito ingrediendi Religionem, proponatur Patribus per tria Capitula distinctis temporibus, & quod à maiori parte in tertio Capitulo statutum fuerit per secreta suffragia, illud tantum habeatur. Et qui ab vno Monasterio fuerit reiectus, ab alio nunquam recipiatur, & receptus abijciatur. Neque duos Fratres naturales in eodem Conuentu quacunque de causa recipi possint. Cum autem recipiendus in eo loco natus non fuerit, requiratur consensus Capituli illius loci, vbi ipse natus est, si tamen in eo loco fuerit Monasterium nostri Ordinis. In Conuentu vbi nō fuerint sex vocales, nullus recipiatur Laicus, aut Clericus futurus, nisi Visitationis tempore, præsente Generali, aut Prouinciali: extra Visitationem recipiatur à Conuentu viciniore habente sufficientes vocales, aut à Conuentu in quo Nouitius debet educari, accedente consensu Conuentus pro quo tamquam filius recipi-

cipitur in scriptis illuc transmisso, idemque modus seruetur in Professione. Qui pro Clericis sunt accipiendi minores 16. annis, themata latinè, & expeditè conficiant per regulas minores, vsque ad impersonalia inclusiuè; alij verò per omnes regulas maiores, itaut latinos Autores sciant explicare, cuius rei periculum fiat à Generali, siue ab alio de eius mandato. Et post probationem Confessionem generalem faciant, & communicēt, si fuerint capaces; aliaque omnia existentia in instituto eiusdem Pontificis, excepta requisitorum cognitione olim ad Ordinarium loci delata, nam Vrbanus 8. in Decreto de Apostat. & Eiectis dispensauit. Pro alēdis Nouitijs aliquid iuxta locorum consuetudinem soluatur. Qui, antequam sit completum tempus Nouitiatus, discesserit, & redierit intra Mēsem recipi possit à Capitulo Conuentuali; si vltra mensem, possit recipi à definitorio Prouinciali, aut à Visitatoribus in Visitatione, accedente postmodum cōsensu Capituli Conuentualis per suffragia semel tantum de ipso lata; faciat tamen nouam Probationem per annum, ac si nunquam fuisset receptus, super quibus omnibus, nec Generalis ipse dispensare possit. † Nouitius autem, & qui iam sine habitu per Mensem in Nouitiatu mansit, à Priore coram Patribus sine benedictione habitus, nomine mutato, induatur: tradaturque Magistro Nouitiorum instruēdus; sed tamen nihil ante professionem (excepto victu, & vestitu illius temporis, cum est in probatione) quocunque prætextu à Parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius, Monasteriū ex bonis eiusdem sub Anathematis pœna (iuxta Decretum Concilij Tridētini) recipiat. Sess. 25. c. 16. de Reg. & mon.

De Nouitijs. Cap. VII.

CVM adolescentium ætas (nisi rectè instituatur) prona sit ad malum, & ad voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem, & Religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè, & sine maximo, ac singulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio in disciplina Regulari omnino perseueret. Nouitijs, & vitæ integræ (& ætatis prouectioris) & Religionis præcipuè zelator præficiatur Magister, qui eos ante omnia timorem Domini, Doctrinam Christianam, & Cathechismum Romanum doceat, ac purè, frequenter, & discretè confiteri. Ad Regulæ item, & Constitutionum obseruationem, ad Cæremonias, & Officium, ad mores deniquè, & alias Regulares obseruantias erudiat. In Ecclesia, & vbicunque negligenter se habuerint, verbis, & signis, quantùm poterit, studeat emendare, doceat eos humilitatem cordis, & operis habere, iuxta illud, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, sine proprio viuere, propriam deserere voluntatem, Prælatorum obediētiam in omnibus voluntariam obseruare. Instruat quomodo vbique, & in omnibus se habere debeāt. Quomodo Maioribus se inclinent, & designatum sibi locum teneant. Quid orent, & cum silentio, vt oculos sublimes non teneant, cum nemine contendant, illatam sibi iniuriam patientèr ferant, locis, & temporibus interdictis nō loquantur, in Processionibusq; socium sibi collateralem attendant. Nouitijs sit locus cum Dormitorio, & Capi-

tulo

tulo à Dormitorio communi penitus ſeparatus, nec ipſi (præterquam in Eccleſia,& Refectorio)cum alijs fratribus conueniant. Nulluſque eorum habeat relationem cum aliquo fratre, etiam Magiſtro, & ſeniore, quamuis Prior, vel Prouincialis eſſet; itaut eius alumnus, aut diſcipulus dicatur. Inter ſe,& ſolum cum Magiſtro ſuo degãt, nec cum aliquo ſine eiuſdem Magiſtri pręſentia loquantur. Neque de præceptoribus morum tantùm, ſed de bonarum litterarum, & muſices Magiſtris illis eſt prouidẽdum; propterea pro locorum opportunitate,& Nouitiorum neceſſitate aduocentur earum artium periti bonæ famæ viri,& vitę inculpatæ. Ne tamen paſſim admittantur Nouitij per omnia Ordinis loca, neuè etiam Conuentus implicentur publicis negocijs. In qualibet Prouincia deputetur vnus, vel plures Nouitiatus in Conuentibus inſignioribus tantum, ad quos mittantur quot quot fuerint in illa Nouitij. Quibus tamen prouideatur ab ijs, qui illos miſerint, ſecundũ quod fuerit per Prouincialem decretum. Non tamen mittantur ad partes longinquas, niſi ob neceſſariam cauſam (non promoueantur ad aliquem Ordinem ante expreſſam profeſſionem) ſuo præſertim Magiſtro ſubijciantur, qui ſolus de Nouitijs errãtibus pęnas ſumat. † Sed ſemper in Nouitiatu, nunquam autem extra, etiam ſi cauſa vrgere videatur, ſub pœna amiſſionis vtriuſque vocis per annum ipſo facto incurrenda. Nouitij nullo modo admittantur ad profeſſionẽ in Conuentu, vbi nouitiatum fecerint, niſi adſit conſenſus Capituli Conuentualis, pro quo recepti fuerant Nouitij. Clerici, ſi fieri poſſit, non deputentur ad ſeruiendũ Miſſis. † Vt autem maximè orationibus,& deuotionibus aſſueſcant, quotidie poſt Completorium ante Sacratiſs.

Ex Bulla refor.

Ex Bulla refor.

Corporis Christi Sacramentum prostrati dicant. O Sacrum conuiuium. cum, Vers. & Oratione de Sacramento. Quibus completis, ad Altare B. Virginis accedentes dicant Coronam eiusdem pro felici statu Sanctę Romanæ Ecclesiæ, & Sanctiss. D.N. Papæ, & pro benefactoribus, & Religionis augmento.

De Modo Professionis. Cap. VIII.

ADueniente Professionis tempore, quod non erit, nisi transacto integro probationis anno, & 16. ætatis completo; Prior iubeat Nouitio, vt peccata sua confiteatur per Sacramentalem Confessionem, & suscipiat Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Deinde aduocet eum in Capitulo, exponatq; illi tempus suæ probationis esse completum, proponatque, an velit in Ordine profiteri, aut discedere. Ostendat illi incommoda omnia Ordinis, & seculi, commoda rursùs vtriusque. Ipsumquè per dies aliquot dimittat in manu consilij sui. Permittatquè, vt ad suos redeat, tentaturus modis omnibus, an ad Ordinem à Deo vocatus fuerit. Quòd si ille voluerit dimisso Nouitiorum habitu ad sęculum redire, id ei liberè, absque vlla difficultate concedatur. Si verò sponte, & liberè seculo renuntiare, & se ipsum Ordini nostro dicare decreuerit, proponatur toti Capitulo Conuentus, cuius est filius, habito prius testimonio, nedùm à Magistro Nouitiorum de moribus, & qualitatibus cum iuramento in manibus Prioris Conuentus, in quo Nouitius mansit exibendo; itaut si compertum fuerit falsum dixisse, tanquam periurus seuerè puniatur; sed etiam a Priore, & a Patribus

Discre-

Discretis eiusdem Conuentus (in quo vt præfertur) Nouitius educatus fuit. Antequam tamen proponatur Capitulo Prior, à quo receptus fuit Nouitius, teneatur inquirere, an aliquod impedimentum occurrat, propter quod non sit admittendus ad Professionem, & illud quã primum notificare: neque vlterius procedatur, donec per Prouincialem, vel Generalem huiusmodi impedimentum iudicatum fuerit esse, vel non esse legitimum, † & si fuerit à maiori parte Capituli per secreta suffragia admissus, recipiatur ad professionem. Qui verò à Capitulo admissus non fuerit, aut ipse p ofiteri noluerit, statim ad suos redeat habitu deposito. (Abeuntiquè ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant) neque possit in eodem, aut in alio Conuentu amplius recipi. Quòd si Prioris negligẽtia aliquis Nouitius in Religione post annum professionis debitum permanserit, non propterea intelligatur Professus, donec expressam Professionem emiserit, sed & Prior ipse pro huiusmodi negligentia puniatur. Et (vt seruetur ordo, & tollatur confusio) Nouitij in aliquo Cõuentu recepti nullo modo ad Professionem in alio admittantur, nisi consentiente Capitulo illorum Conuentuum, in quibus ad Probationem recepti erant. † Cõstituatur liber peculiaris, in quo vniuscuiusq; Nouitij Professio, assignato anno, mense, die, & hora, registretur, illamque Nouitius Professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant, Conuersus verò litterarum ignarus professus, in eorundem testium, qui se subscripserunt præsentia, propria manu signum Crucis apponat, & hic liber asseruetur, & custodiatur in Archiuio, vbi scripturæ ad Monasterium, seu Conuentum pertinentes reponi consue-

Conc. Trid. sess. 26 cap. 16.

ue-

uerunt, iuxta Decretum Clem.8. de facienda probatione in Nouitiatibus à S. Sede designatis, videlicet. Sanctissimus in Christo Pater, & D.N.D.Clem.diuina Prouidentia Papa Octauus.Cum iam dudũ animaduerteret collapsæ regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimum iuxta sui muneris debitum vigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus Monasterijs, & Conuentibus, ijsque præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes passim, ac sine delectu accipiuntur, ac inde fieri, vt quo magis varijs Cõstitutionibus affectas radices euellere studet, eo magis infructuosa nouitèr profitentium germina quotidiè succrescãt; cumq; ob zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas sua omnes Regulares ad vetus suæ cuiusque Religionis institutum redigendi, districtè prohibuerit, ne quis in certis Monacorum, & Mendicantium Ordinibus, ad suscipiendum habitum Religionis admittatur, profiteaturuè, quousque Monasteria, & Conuentus aliquot destinarentur, in quibus posset cõmodius regularis obseruantia, secundum reformationem à Sanctitate sua institutam introduci. Quia tamen non obstante tali prohibitione, cognouit, nonnullos fuisse vel sub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate sua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptos, & admissos præter mentis suæ sensum. Idcirco huic malo prospicere volens, ne licentiæ, ac facultatis huiusmodi subreptione, ac prætextu Decretum S. suæ irritum reddatur, nunc denuo districte præcepit, ac mãdat omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, &

Guar-

Guardianis quibuſcunque, cæteriſque Superioribus, Cõuentuum, Monaſteriorum, ac Domorum, quocũq; nomine appellentur intra Italiam, & Inſularum adiacentium fines exiſtentium quoruncumq; Ordinum Mẽdicantium, & non Mẽdicantium, exceptis tamen Carthuſianorum, Fratrum Minorum de ſtrictiori obſeruantia, nec non Capuccinorum S. Franciſci reformatorum, S. Dominici, Diſcalceatorum ordinis Carmelitarum, nec non fratrum Congregationis Folienſis Ciſtercien. ordinis, ac Æremitarum Æremi Camaldulenſis Montis Coronæ, Clericorũ Regularium Theatinorum, Societatis Ieſu, S. Pauli decollati, & aliorum de Somaſcha, Miniſtrorum infirmorum reſpectiuè Ordinibus, Societatibus, ſeu Cõgregationibus nuncupatis, quæ etiam anteà exceperat, & nunc iterum excipiendo voluit, prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi, nec ſub cuiuſuis licentiæ, & facultatis impetratę, vel impetrãdę prętextu, niſi per litteras in forma breuis dumtaxat, & non aliàs quemquam ad habitum Regularem ſuſcipiendum, nec etiam Conuerſos, niſi in Conuentibus, Monaſterijs, & Domibus, auctoritate eiuſdem S.D.N. propediem in vnaquaq; Prouincia deſignandis recipere, aut receptos ad Profeſſionẽ admittere vllo modo audeãt. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis ſuæ receptos, etiamſi imperfectum habitum, aut ſine Caputio gerant poſt præſentis Decreti in Romana Curia publicationem omnino eijcere debeãt. Superiorem autem, qui huius Decreti trãſgreſſor extiterit ipſo facto pęnam priuationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis actiuæ, & paſſiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia impoſterum obtinẽda eo ipſo incurrere voluit, ac decreuit, & alijs etiam pęnis

arbi-

arbitrio Sanctitatis suæ imponendis subiacere. Receptiones verò, & Professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quencunquè effectum, & nunc decernit, & declarat. Hoc autem Decretum voluit S.S. eos Ordines comprehendere, qui Conuentus, Domos, & Monasteria à se probata pro Nouit. receptione, & educatione hactenùs sua promissione constituerint, cæteras verò licentias, siue particulares, quæ in hãc diem effectum non sunt sortitæ, reuocat, & annullat; videlicet autem, Decretum hoc suum in solitis locis Vrbis publicatum, ita prædictorum singulos afficere, ac si cuilibet personalitèr fuisset intimatum, priuilegijs, statutis, & constitutionibus quibuscunque in contrarium minime obstan. Datum Romæ apud S. Marcum die 20. Mensis Iunij M.D.X C.IX. † In Conuentu in quo est Nouitiatus, si fieri potest, sin autem in alio, in quo vigeat regularis obseruantia, sit Professorium, quòd etiam secundus Nouitiatus dicitur, ijsdem (quoad fieri potuit) rebus instructum, quibus Nouitiatus, in quem locum Nouitij nuper Professi transferantur, & vsque ad annum ætatis 19. expletum sub disciplina Magistri eisdem qualitatibus præditi, quibus Magister Nouitiorum teneantur, nec eis liceat cum alijs fratribus conuersari, nullis negocijs Conuentus implicentur, sed in Choro tantum, in Refectorio, & Missis (si quando opus fuerit) inseruiant, Grammaticæ studium prosequantur, & pro opportunitate illis de lectore scientiarũ prouideatur. Ne verò Monasteria grauentur expensis propter Professorium, statuantur (si oportuerit) alimenta per Definitorium in Capitulo Prouinciali, aut per Visitatores in Visitatione. Possint Superiores rationabili de

cau-

causa iuuenes Professos confirmare in Nouitiatu sub obedientia Magistri Nouitiorũ, qui tamen permittat pro locorum necessitate eosdem Iuuenes in Altaris Ministerio, seù etiam in Choro, decenti semper modestia inseruire. † In Professione autem facienda, talis seruetur modus. Aduocetur Nouitius coram Patribus, Notario, & Testibus, exuatur habitu, & scapulari à Priore illi dicente. Carissime fili, modò exutus es habitu Sanctę Religionis, abire potes, elige quod vis. Nouitius autem respondeat, elęgi abiectus esse in Domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Prior verò subsequatur: Benedictus sis à Domino, quia bonam partem elegisti, quæ à te nõ auferetur. Deinde inuocetur à Fratribus omnibus Spiritus Sancti auxilium cum Hymno. Veni creator Spiritus. Benedicãtur posteà vestes à Prælato dicente. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Resp. Qui fecit Cælum, & terram. Vers. Dominus vobiscũ. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui morte vnigeniti Filij tui Domini Nostri Iesu Christi mundum collapsum restaurare dignatus es, vt nos à morte æterna liberares, & ad gaudia regni cælestis perduceres, respice quæsumus hanc familiam in tuo nomine congregatam, de cuius gremio hic famulus tuus esse cupit, vt augeatur numerus tibi fideliter seruientium, vt omnibus seculi, & carnis perturbationibus liberatus, & à laqueis Diaboli securus intercessione Beatæ Virginis Mariæ, & Beatorum Augustini, & Philippi vera gaudia possideat. Per eundem Christum Dominum nostrum. Oremus. Domine Iesu Christe, qui tegmen nostrę mortalitatis inducere dignatus es, obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, vt

Clem. 8. de Instit. o t.

hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres ad innocentiæ, & humilitatis inditium nos ferre sanxerunt, ita benedicere digneris, vt qui illis indutus fuerit corpore, mente paritèr, ac animo induat te Saluatorem nostrum. Qui viuis, & regnas, &c. Vestibus benedictis induatur Nouitius Tunica à Prælato dicente. Accipe, carissime frater, talarem tunicam in signũ grauitatis, & modestiæ. Præcingatur deinde hæc dicendo. Accipe cingulum lumborum in signum castitatis, & obedientię; iam enim ambulabas, quò volebas, nunc autem præcinctum alius ducet te, quò nõ vis. Imponat deinde Prælatus Habitum, & scapulare, & dicat. Accipe habitum munditiæ, & operimentum capitis in signum humilitatis, vt ita indutus obserues ea, quæ regularibus institutis, & maiorum præceptis mandantur. Nouitius indutus primum facta professione fidei iuxta Bullam Pij PP. IV. profiteatur in Religione per hæc verba. Ego Frater. N. filius. N. in seculo vocatus. N. qui detuli habitum Nouitiorum in Ordine Fratrũ Seruorum B. M. Virg. per annum integrum, iam natus annum. N. non vi, nec metu, aut vllo errore ductus, sed spontè, liberè & ex certa scientia facio professionem, & promitto Deo Omnipotenti, & Beatæ Mariæ, & tibi Reu. Pat. Priori Generali, *siue Prouinciali, siue Conuentuali nomine, & vice Prioris Generalis* Fratrum Seruorum Beatæ Mariæ Virginis, & successoribus tuis seruare Obedientiam, & Castitatem, & viuere sine proprio, secundũ Regulam Beati August. & cõstitutiones Seruorũ, & secundũ Decreta Sacri Generalis Concilij Tridentini toto tempore vitæ meæ. Sic me Deus adiuuet. Deinde pro gratiarum actione à Prælato dicatur. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Resp. Et salutare tuum da

no-

nobis. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Deus, qui corda fideliũ, &c. Concede nos famulos tuos, &c. Deus, qui nos à ſeculi vanitate conuerſos ad æternam accendis fęlicitatem, pectoribus noſtris illabere, & gratiam, qua in te perſeueremus, infunde, vt protectionis tuæ muniti præſidijs, quod te donante promiſimus, te adiuuante impleamus; & profeſſionis noſtrę exequutores effecti, ad ea, quæ perſeuerantibus promiſiſti, peruenire valeamus. Per Dominum Noſtrum Ieſũ Chriſtũ, &c. Huius profeſſionis fiat per Notariũ publicum inſtrumentum, & ſi quid hæreditario iure, vel quouis alio modo acquiſitum Profeſſus habuerit bonorum immobilium, per eundem Notarium bonis Monaſterij, cuius eſt filius, incorporetur. Nec ipſi Profeſſo, aut alteri liceat de eis diſponere, niſi prout alia Monaſterij bona diſponuntur. A Priore tamen Conuentuali, quauis remota excuſatione de neceſſarijs ei prouideatur. Quòd ſi Prior negligens fuerit, Prouincialis ex officio prouideat. Scribatur autem in lib. actorum Conuentus nomen profeſſi, & illius, in cuius manibus profeſſus eſt, diemq; omiſſæ profeſſionis, ac menſem, & annum ætatis, vt tempus promotionis ad Sacros Ordines certiùs reſciri poſſit, & Superiores ab aliquo non decipiantur. Facta autem Profeſſione non relinquatur arbitrio voluntatis ſuæ; Nec relationem habeat cum aliquo, etiam ſene (quamuis fuerit Prouincialis, aut Prior) vel ſerui, vel alumni, aut diſcipuli; ſed curæ Magiſtri iuuenũ profeſſorum omnino ſubijciatur.



De Adoptandis in Filios, Cap. IX.

NVllus deinceps alicuius Monasterij Professus dimittatur à suo Conuētu, nec adoptetur in filium alterius Conuentus nisi dimissio à Conuentu filiationis,& receptio in Conuentu adoptionis facta fuerit primum in scriptis à filijs vtriusq; Conuentus,tàm præsentibus, quàm absentibus,qui tamen vocem habeant in Capitulo Conuentuali per duas partes ex tribus,idque intelligatur in hoc casu tantum quoad assensum duarum partium ex tribus,proponatur toti Capitulo vtriusq; Conuentus, vt probetur de more per suffragia supra medietatem duntaxat. Quod si ex vna Prouincia,alteri quis adoptandus fuerit , adsit etiam consensus vtriusque Capituli Prouincialis;† sed hoc ordine, vt prius dimittatur à Conuētu, deinde à Prouincia , è contra verò accipiendus per adoptionem ab altera Prouincia,prius proponatur Prouinciæ, deinde Conuentui , cui est adoptandus : adoptio autem quoad Prouinciam fiat tantum per secreta suffragia, & non inscriptis. Si quis voluerit adoptari in filium Conuentus,qui vnum tantum habet vocalem , nulla sine illius consensu per superiorem,etiam per ipsum Generalem fieri possit adoptio : si nullus filius adsit,adoptio fiat in visitatione , aut in definitorio Prouinciali, seruatis tamen alijs conditionibus quoad Conuentum suæ filiationis in illo dimittendo. Si quis in alio Conuentu post primam adoptionem velit adoptari id fiat sine præiudicio primæ adoptionis, itaut nihil iuris acquirat,vel habeat alter Cō-

uen-

uentus super bona, ac iura illius.† Huiusmodi autem adoptiones vim non habeant, donec à Generali fuerint confirmatæ,† nedum quoad ipsas adoptiones, sed neq; etiam quoad diuisionem per æquas portiones bonorum faciendas videlicet immobilium, librorum, pecuniarum, & aliorum pretiosorum mobiliũ. Omnia acquisita, vel quoquo modo deuoluta intuitu personæ à die adoptionis per Generalem, vt præmittitur, approbatæ sint Conuentus adoptionis absq; vlla partitione.† Post Confirmationem autẽ illius Prouinciæ filius, † siue Conuentus, in quo adoptatus est, quisq; intelligatur, atque omnibus iuribus, & Priuilegijs illorum gaudeat, ac si eorum foret Professus, nec liceat ei amplius ad Prouinciam, vel Conuentum, in quibus emiserat Professionem, reuerti, neque ius aliquod in eis tanquam filius habere. Attamen bona, quæ obueniunt Conuentui intuitu personæ, æquis portionibus inter Conuentum professionis, & adoptionis diuidantur, † exceptis ijs, de quibus mox dictum est à die adoptionis acquisitis.

De Conuersis.
Cap. X.

NE qui Diuino cultui sunt dedicati, vilibus negotijs inseruire cogantur, indiget Religio Fratribus ad seruiendum receptis, qui Conuersi vocãtur,† ijq; recipi non debent nisi 20. Annum, ad probationem autem nisi 25. compleuerint, & manserint in habitu Commissorum per biennium integrũ, sintq; bonæ, ac probãtæ vitæ. † In eorum receptione, educatione, & professione,

ser-

seruentur ferè omnia quæ sancita sunt de Nouitijs, iuxta decreta Clem. VIII. præsertìm quod non profiteantur; nisi fecerint probationem in Conuētu, in quo sit Nouitiatus, à quo per id temporis non remoueantur, nec alicuius personæ particularis seruitio deputentur. Disciplinæ Magistri Nouitiorū omnino subiaceant. Et ne Religionis Ordo confundatur, qui pro laico receptus olim fuit, aut in futurum recipietur, nunquam ad sacros Ordines promoueri possit; quod si quis imposterum se promoueri fecerit, sit ipso iure suspensus, (in creandis Officialibus, vel alia quauis de causa, Conuersi suffragia ferre non possint) Quamuis autem careant voce actiua, possint tamen eligi ad aliqua officia peragenda, prout Capitulo, vel Priori videbitur expedire. In locis, & actibus publicis post Professos locum teneant, & Nouitios præcedant. Coronam Clericalem non deferant; sed infra aures in occipite radantur.

Concil. Trident. sess. 22. cap. 4. de Reform.

De promouendis ad Sacros Ordines. Cap. XI.

IN promouendis ad Sacros Ordines, tàm maiores, quàm minores summa diligentia est adhibenda; vt ij tantùm admittantur, qui expressam Professionem emiserint, & Sacramentum Confirmationis susceperint, & in ætate legitima constituti, ac bonis moribus imbuti, sufficientique litterarum peritia, & alijs qualitatibus à Sacris Canonibus requisitis præditi, ac rectè in cantu Ecclesiastico, quem firmum vocant, instructi sint. (Qua-

Ex Cōc. Trid. sess. 23. ca. 4.

(Quare caueant Superiores licentiã vlli fratri cõcedere, vt ad aliquos Sacros Ordines, siuè maiores, siuè minores promoueri possit, nisi ille in ætate legitima cõstitutus, & litteratura ad eos requisita præditus sit. Habeatque omnia, quæ à Sacris Canonibus, & Regularibus institutis requiruntur. Aliter promotus à suorum Ordinum exequutione suspendatur; & licentiam concedens ab officio deponatur, & per sexennium ad omnia officia inhabilis habeatur.) Ætas autem, quæ præscribitur à S. Tridentina Synodo est, vt ad Subdiaconatũ promouendus agat Annum 22. Ad Diaconatum 23. Ad Sacerdotium 25. sess. 23. cap. 12. † Probitatis, & sufficiẽtiæ fidem faciant cum iuramento Prior, & Patres digniores, & seniores eius Conuentus, in quo promouendus pro maiori parte illius anni resederit, & in quo etiam tunc temporis commoratur de familia. Quoad litteras verò; Prouincialis, & vnus saltem ex Patribus examinatoribus in Capitulo deputatis examinent, sed nullùm probent ad Maiores Ordines, qui Cõc. Trident. aut Cathechismum, vel saltem Missale Romanum non rectè explicauerit, cui Codices (onerata examinatorum conscientia) ex improuiso offerrantur examinandi. Huiusmodi autem probationis testimonium mittatur Generali; qui solus sic probatis, dimissorias (si sibi visum fuerit) ad Maiores Ordines suscipiendos concedat. Ad minores autem Prior Prouincialis possit illas concedere, sine quibus in scriptis habitis, nemo audeat Ordinem Maiorem sine Generalis, Minorem verò sine Prouincialis licentia suscipere, nec ab alio Episcopo, quàm à Proprio, seu Diæcesano nisi eo absente, aut Ordinationes non habente, aut Sede Episcopali vacante, quo casu viciniorem alium Episcopum adire poterit, dũ

ta-

tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus, vel ab futurus, vel nullas habiturus esset Ordinationes. Verum cum à Superioribus Regul. Episcopo Dieces. absente vel Ordinantes non habente litteræ dimissoriæ dabuntur * in eis vtique absentia Diæcesani Episcopi, vel quod ordinationes vt præfertur non habeantur exprimere teneãtur. * Quod si Regulares ordinandi morentur in monasterio nullius Diæces. huiusmodi dimissoriæ cõcedi debent ad Episcopum viciniorē, in eoque locum habeant, quæ de Episc. Diæces. superius præscripta sunt, † sciãtq; omnes per Constit. fel. rec. Pij Papæ II. eos, qui ante ætatē, aut extra tempora, aut sine litteris dimissorijs fuerint ordinati, ab Ordinum exequtione esse ipso iure suspensos: quod si suspensi ministrauerint, fieri etiam irregulares. Et vt vitetur promotio per saltum, qui ordinē suscepit, deferat secum litteras testimoniales Episcopi, quas statim cum ad Conuentum redierit, Priori ostendat, aliter Prior eum ad exequtionem Ord. admittere non audeat (& nulli dentur dimissoriæ ad vlteriorem Ordinem, nisi ijs, qui in suscepto per annum administrauerint, præterquam si Generali ob Ecclesiæ commoditatem, & vtilitatem alitèr videbitur expedire.) Nec quacunq; de causa dentur dimissoriç ad Ordinem aliquem, nisi ei, qui inferiorē Ordinē iam actu susceperit. † Prior Prouincialis, qui falsam fidem circa mores, & sufficientiam ordinandi, ad Generalem transmiserit, puniatur iuxta Conc. dispositionem. Si vero Prior Generalis quacunque ex causa, etiam ob occultum crimen, ascen-

sum ad Sacros Ordines alicui interdixerit, aut etiam ab Ordinibus suspẽderit, ille non audeat licentiam quærere alia via, de se promoueri faciendo, vel vt restituatur ad exequtionem Ordinum susceptorum, iuxta Decretum Conc. † Nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoueri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, & dignitates, siue honores restitutio suffragetur. † Prior verò nullum admittat ad suscepti Ordinis exequtionem, nisi eum, ipse, vel alius ab eo deputandus in Cæremonijs Ecclesiæ probauerit. Sess. 14. cap. 1.

De Confessoribus. Cap. XII.

EAdem diligentia est adhibenda in deputandis Cõfessoribus secularium, vt nulli admittantur ad secularium (etiam Presbyterorum) confessiones audiendas, nisi insigni modestia, & probitate ornati, atque in casibus conscientiæ probè eruditi (& quoad mulieres ætatis prouectioris) Et quoniam curare debent maximè Superiores, vt in singulis Conuentibus, Fratres præcipuè in conscientiæ casibus, & reliquis, quæ ad audiendas Cõfessiones pertinent, ob rei grauitatem, & necessitatem, summo studio, & diligentia exerceantur: in quolibet Conuentu casus conscientiæ per Magistrum, aut alium idoneum, ad hoc in Capitulo Prouinciali deputandum, ter in Hebdomada legantur, aut saltem bis, cui lectioni omnes (exceptis Theologis) interesse teneantur, & debeãt † Eaq; absoluta mutua collatione circa explicatam doctrinam sese vtiliter exerceant, & propterea lector sẽper casus aliquos in sequenti lectione discutiendos pro- Ex Bulla Refor.

ponat, & pœna ſtatuta de lectione extenditur ad collationem, ſeù vt dicitur conferẽtiam, hoc eſt, qui vtramq; prętermiſerit; liceat tamen caſuum lectionem intermittere in Quadrageſima, ſi Lector prædicauerit, & à Superioribus menſe Iulio, & Auguſto, ſi calores fuerint exceſſiui, diſpenſari poterit, ita tamen vt lectiones caſuum ſaltem 60. per Annum habeantur; † Et ſi in viſitationibus Prior Generalis, ſiue Prouincialis inuenerint, prætermiſſam fuiſſe huiuſmodi lectionem per menſem ſine cauſa, Lectorem ad omnia officia per triẽnium inhabilem declarent. Ille verò, qui per Hebdomadam à dicta lectione abſuerit, voce actiua, & paſſiua per Annum careat. † Et Prior, qui permiſerit in Viſitatione puniatur. Prior autẽ Generalis in Viſitationibus illos, quos ipſe, vel Prouincialis ſimul, cum vno ſaltem examinatore, ſi ibi adſit, nouerit idoneos, admittat ad triẽnium tãtum, & non vltra, donec iterum examinentur (exceptis Magiſtris) quibus abſolutè concedi poſſit licentia: Patres verò quinquageſimum Annum excedentes, poterunt eximi à nouo examine, ſi alias reperti fuerint idonei; † Qui nihilominus, quamuis per Generalem admiſſi fuerint, cõfeſſiones audire non debent, niſi ab Ordinario loci fuerint approbati; quod ſi quis ſine Generalis licentia, aut ſine Ordinarij approbatione Confeſſiones audire præſumpſerit, vltra perpetuam ab audientia confeſſionum priuationem, carceri per menſem mancipetur.



De

De Studentibus. Cap. XIII.

EXperientia magiſtra compertum eſt, nihil magis poſt bonos mores Regularem ſtatum ſuſtinere, & augere, quam ſacrarum litterarum ſtudia, quæ ſi quando in Religione fuerunt intermiſſa, boni etiam mores, & ſtatus Religionis vniuerſus eſt collapſus. Propterea ne litterarum ſtudia remittantur, in qualibet Prouincia ſit Conuentus vnus ad minus, in quo vigeat ſtudium maius, Theologiæ, & artium; In eoque à Priore Generali in Capitulo Generali aſſignetur Regens, Baccalaureus Conuentus, & Magiſter ſtudij, cum ſtudentibus, qui per triennium ad minus ab eo Cõuentu (niſi vrgente aliqua rationabili cauſa) non remoueantur. Nulluſque aſſignetur pro Regente, niſi ſit Magiſter in Theologia, qui nunquam de Hæreſi condemnatus, aut ſuſpectus fuerit, ſitquè bonæ famæ, & qui proprio exemplo ſtudentes ad bonos mores, & regularem vitam ſeruandam admoneat; & qui ex publicis actibus aptus ad alios docendos dignoſcatur. Quiquè non ſit Prior, niſi forte ſubrogatus in caſu vacationis. Baccalaureus Conuentus ſit Baccalaureus formatus, & qui per tres annos audierit Theologiam, & aptus ſit ad legendum naturalem Philoſophiam, & qui ſufficiens ſit inter ſtudentium diſputationes Reſpondentis partes ſuſtinere. Magiſter ſtudij non ſit, qui non audierit per tres Annos Philoſophiam, & aptus ſit ad Dialecticam legendam, & in diſputationibus ad Arguentis partes defendendas. Munus verò Regentis ſit, primum Studentes ſuos docere timorem

Domini, qni eſt initium Sapientiæ, hortari ad Diuinum cultũ, & ad Obediẽtiam Priori exhibendã, eiſq; quotidie legere Theologiã. † quæ lectio Theologiæ ſpeculatiuæ habeatur ex approbatis Doctoribus Generalis arbitrio in Capitulo Generali ſtatuendis, ita vt in trienniô explicetur tota ſumma D. Th. aut Henrici Gandauẽſis Ordinis noſtri, vbi occaſio prçſto fuerit breuitèr expeditis ijs, quç minorem ſpeculationẽ expoſcunt. Baccalaurei Conuentus munus erit lectionem ex Philoſophia habere, ita ut primo Anno lib. Phyſicæ, 2. lib. de Cælo, & Mundo, & de Generatione. 3. lib. de Anima interpretetur. Magiſter ſtudij eodem temporis curſu abſoluet totam Ariſt. Logicam; primo Anno libellum Porphyrij, lib. Prædicamentorum, & Perihermenias; ſecundo Anno, & tertio lib. Poſter. & Elenchorũ. In 2. triennio, ſi Lectores, & ſtudentes in eodem Conuentu à Generali aſſignentur, habeantur lectiones ad nutum eiuſdem Generalis, qui indigentiæ ratione inſpecta, quid magis videbitur expedire decernat. Teneantur Lectores omnes ad minus ſingulis annis 120. lectiones, ad ſpatium vnius horæ, ac totidem diſputationes, quas circulos dicimus, habere. † Omnes verò lectiones huiuſmodi legantur in Capitulo, vel ſaltem in alio loco publico. Regens autem, Baccalaureus Conuentus, & Magiſter ſtudij, vel alij quomodolibet in eo docentes, quamprimum à Generali deputati fuerint, faciant profeſſionem fidei Catholicæ, iuxta Conſt. Fel. rec. Pij Papæ IV. Studentium verò numero nemo aſcribatur, qui non fuerit in ſacris Ordinibus conſtitutus, aptus ad audiendam Logicæ Lectionem, ſitquè bonæ indolis, & famæ, † de qua fidem faciant cum iuramento Prior, & Patres diſcreti, vel ij, qui ſteterint loco

di-

discretorum eius Conuentus, in quo is ante resederit saltem per annum. Recognitio autem fidei testimonialis fiat, vel in Visitatione à Generali, aut ab eius Vicario, & à Prouinciali vnà cũ socio eius Prouinciæ, in qua admittendus resederit, vel in Capitulo Prouinciali ab eisdem simul cum definitoribus. Quod si certò constiterit Generali, vel eius Vicario fidem aliunde aliquid falsitatis continere, testes puniat tanquam periuros, & adscriptũ in studentium numerum ex illo abradat, patentesq; litteras scindat, nec vltra concedat. Id autem cæteris patribus seruetur, etiam in promouendis ad Sacros Ordines, & ad Gradus; sciantque testes, vltra pænas contra eos inflictas, oneratam remanere propriam eorum conscientiam; Periculum autem idoneitatis, & peritiæ pro adscribendis in studentium numerum, fiat in Visitationibus, aut in Capitulo Prouinciali (vt præfertur) ab eisdem Patribus (excepto socio, si non sit Magister, & pariter definitoribus non Magistris) hoc pacto, Iuueni probando per examen tradãtur duo Auctores ex difficilioribus, quos ex improuiso per alia verba latina interpretentur, & sensum, tum Italico, tum latino aperiat idiomate, itaut constet illum aptum esse ad quoslibet latinos Auctores intelligendos, & ad audiendam Logicæ lectionem.† Nec quisquã pro studente de cætero habeatur, qui non habuerit litteras patentes, huiusmodi examen factum esse exprimentes. Studens sic admissus nulli negocio Conuentus implicetur. Habeatque à Conuentu, cuius est filius, subsidium pro locorum consuetudine,† & id vsque ad gradum Baccalaureatus tantum, postmodum nullo pacto eis tribuatur. Regens, & Baccalaurei omnes (multò minus studentes inferiores) non possint excepto

pro tempore Quadragesimæ, prædicare, nisi fortè infra Annum, vbi degunt ob inopiam alterius prædicatoris, ita tamen, vt debitæ lectiones non intermittantur. † Neque nomine, aut priuilegijs student um gaudeat, qui nō permanserit in Conuentu, vbi sunt Regentes, siue Lectores Ordinis nostri, ne cogantur lectiones extra Religionem quærere. Nec Baccalaurei, qui manserint extra loca studij Ordinis nostri priuilegijs Baccalaureorum gaudeant, aut ad Magisterium assumi possint; nisi forte Prior Generalis ad prædicandum aliqua in Ecclesia eos miserit. † In minoribus studijs sufficiat Regens, aut Lector vnus, & hic possit esse Baccalaureus; ex his autē minoribus studijs accipiantur mittendi ad studia maiora, nec vllus assumatur ad audiendam Theologiam, qui non expleuerit cursum integrum Philosophiæ, cum testimonio Lectoris iuramēto firmato. Constituatur Bibliotheca in quolibet Conuentu, vbi fuerit studium, quin, & in omni Conuentu Collegiato cōstituatur similiter Bibliotheca ex libris Fratrum decedentium, ne Iuniores Professi, aut Nouitij, siqui fuerint idonei ad audiendam Dialecticam, publicis cogantur lectionibus interesse, ideoq; ab eiusmodi studio feriari; Prior Generalis constituat Lectorem pro loci, & personarum opportunitate, omnino quoad id muneris seiunctum, & independentem à Regente, vel ab alio Lectore; ita ut, etiam si publicè defendantur Conclusiones ab illis Iuuenibus, ipsis assistat proprius Lector, & non alius, possit tamen Regens, si talis Lector non fuerit Magister, Prior Prouincialis, vel etiam Prior Conuentualis, dummodò sit Idoneus aliquid addere, declarare, vel etiam decidere, si necessitas, aut quandoque adstantium consensus, aut arguentium existimatio postulauerit. † Et

ne ordo Cōuentus propter ſtudium tollatur, tàm in maioribus, quàm in minoribus ſtudijs ſtudentes ſubditi ſint Priori in omnibus, exceptis ijs, quæ ad rem litterariam pertinent, in quibus ſoli Regenti ſubijciantur.

De promouendis ad Gradus. Cap. XIV.

AD † Baccalaureatus gradum nullus niſi 27. anno expleto promoueatur, & manſerit ſub diſciplina Regentis per ſex annos completos, & ſemel in publica diſputatione partes reſpondentis probè ſubſtinuerit, vel in loco, in quo ſtudijs incumbit, vel in Capitulo Generali, aut Prouinciali; Diſputationis autem huiuſmodi (qualis illa euaſerit) ſiuè ante promotionem, ſiuè poſt ipſam, fiat fides cum iuramento ab ipſomet Aſſiſtente, & ab alijs, qni interfuerint, ſi ſint Magiſtri. De vita, & moribus promouendi ſumantur informationes ſummariè cū iuramento ab ijs, quibus cū proximo trriennio conuerſatus eſt. † Primùm verò diligenter examinetur in viſitatione, vel alias à Priore Generali, aut eius Vicario, & Prouinciali, & ſocio eius Prouinciæ, in qua admittendus reſederit, ſuper qualitatibus prædictis. Atque ſi eis videbitur (cum einſdem Generalis licentia, minimè autem ſine illa) accedat ad Capitulum Prouinciale illius Prouinciæ, cuius eſt filius, vbi ſe præſentabit, coram eodem Gènerali, vel eius Vicario Prouinciali, ſocio, & Diffinitoribus, quibus, ſi præcedente cognitione inter eos decretum fuerit illum eſſe reijciendnm, reijciatur: ſi verò admittendum eſſe, admittatur ad rigoroſum examen. In quo diligēter hoc modo probetur: videlicet,

vt ab eisdem Patribus sibi assignentur puncta duo, vnũ ex Physicis, alterum ex Sac. Theologia. Et ipse super eis in Capitulo Monasterij, vel alio loco priuato prælegat, conclusiones eliciat, & disputet respondendo, & satisfaciendo argumentis, & oppositionibus ex aduerso adducendis coram Patribus supradictis. Et qui à maiori parte eorum per secreta suffragia (prætermissis quoad hoc tantum votis socij, & Diffinitorum, qui non sunt Magistri) approbatus fuerit, facta prius professione Ortodoxæ fidei iuxta formulam à Sancta Sede Apostolica præscriptam, mox Baccalaureus creetur à Generali, id quòd omnino ab eo fiat nulla adhibita excusatione. Ad gradum Magisterij promoueantur, qui manserint per sex annos continuos in gradu Baccalaureatus sub disciplina Regentis, quique publicis congressibus conclusiones (præter alias ad Bacc. consequen.) honorificè defenderint ætatis annorum xxxiij. completorum; litteras testimoniales de vita, moribus, & doctrina iuxta formam præscriptam detulerint. Talibus conditionibus præditi accedant de licentia Generalis ad Capitulũ Prouinciale suæ Prouinciæ natiuæ, subituri rigorosum examen per duo puncta Theologica ex improuiso assignata, si tamen Generali, & PP. ad hoc specialitèr, vt infra deputatis, videbitur illos esse ad prædictum examen admittẽdos: factoque doctrinę periculo de more Generalis, vel eius Vicarius; Prouincialis, Socius (si fuerit Magister) Diffinitor Generalis, Diffinitores Prouinciales Magistri, & hi sequẽtes Patres (si tãquam vocales ad idem Capitulum accesserint, & examini prædicto voluerint interesse, sin minus, fiat sine illis) videlicet perfuncti officio Prouincialis, Procurator Ordinis, & Prioris Generalis, nec non Regentes stu-

studiorum maiorum eiusdem Prouinciæ per secreta suffragia supra medietatem (onerata conscientia) admittant, vel reprobent. † Quibus admissis concedatur licentia per Genealrem, vt in aliqua approbata vniuersitate, magisterij gradum, & insignia suspicere valeant. Poterit tamen Prior Generalis duos ex approbatis prædictis creare Magistros, ex indulto Sedis Apostolicæ speciali (A promouendis autem ad gradus huiusmodi nihil omnino exigatur, nec etiam sponte oblatum recipiatur.) † Baccalaurei verò, qui ante publicationem horum Decretorum, quamprimùm per Generalem faciendam, nec de industria sub interminatione Diuini Iudicij vllo pacto differendam triennium Baccalaureatus præscriptum à Constitutionibus antiquioribus expleuerint, promoueantur à Generali, seruata consueta (quoad examen vitæ, & doctrinæ) earundem Constit. forma. Promotis per Generalem iuxta suas legitimas facultates vsu receptas, aut per suum Vicarium ad Magisterij gradum, Conuentus suæ filiationis nullum charitatis impedat subsidium, & Prior, qui secus fecerit (quouis prætextu) priuetur officio, & vtraque voce per triennium. † In litteris vero Creationis Baccalaureorum, & licentiæ ad Magisteriū per Generalem (vt præmittitur) concedendis ætas, & studij tempus, ac cursus exprimantur. Qui autem alia via, præterquam, vt dictum est, huiusmodi gradus sibi vendicare præsumpserit, renunciare cogatur: & in Religione, tanquàm non promotus habeatur, atque vtraque voce careat per triennium † Magistri verò de cætero creādi, non possint eligi in Prouincialem, Procuratorem Generalem Ordinis, Definitorem generalem, neque Priorē Generalem, qui cursus studiorum iuxta Constit. non fe-

Ex Bulla Re for.

cerint. Magiſtri omnes ſub pæna priuationis vtriuſq; vocis non poſſint aliquod Conuentus adminiſtrationis officium (exceptis officijs Prioratus, Vicariatus, Magiſtri Nouitiorum, ac Profeſſorum, Magiſtri Muſices, Directoris Chori, Archiuiſtæ, Cenſoris rationum, ſeu etiam depoſitarij) gerere, niſi neceſſitas, aut euidens vtilitas Generalis, vel Prouincialis iudicio probanda, alitèr poſtulauerit. † Qui licentiam (vt præfertur) habuerit à Generali de ſe promoueri faciẽdo ad Magiſterij gradum in aliqua approbata vniuerſitate, promotionem autem diſtulerit, non habeatur pro Magiſtro nec Magiſtri priuilegijs, aut nomine gaudeat, donec fuerit re ipſa promotus, pro qua promotione in huiuſmodi vniuerſitate facienda Cõuentus, cuius eſt filius, illi de neceſſarijs iuxta conſuetudinem prouidere teneatur. † Si alicui Patri ex neceſſaria cauſa iudicio Generalis probanda, ſocius ex ordine noſtro, qui illi miniſtret concedendus erit, is niſi 25. agat annum, & qui cõmuni ſeruitio ſit deputatus, non concedatur, & ſi fieri poteſt, ſit Laicus conuerſus. †


De Prædicatoribus. Cap. XV.

NVllus ad Diuinum verbum prædicandum eat, niſi is tantum, qui à Priore Generali de vita, moribus, & ſciẽtia fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo licentiam obtinuerit manu, ac ſigillo eiuſdem obſignatam. Generalis verò nullum mittat ad prędicandum, qui nõ ſit Magiſter in Theologia, vel Baccalaureus, † aut qui curſum Theologiæ couſquè fecerit, perinde, ac ſi ad gradum Baccalaureatus eſſet promouendus, vel iã

Theo-

Theolog. positiones publicis cōgressibus honorificè defenderit. Idoneitatis autem fiat periculū hoc pacto quod studens qui ad prædicationis munus obeundum cupierit admitti, duas saltē Cōciones habeat in Refectorio corā Patribus, & si iuxta eorum iudicium fuerit ab ipsis probatus idoneus, ille petere possit prædicandi licentiam. Nulli, si non fuerit actualiter Studens, facultas prædicandi cōcedatur; nisi constiterit aliundè Generali (onerata illius Conscientia) idoneitas ad id muneris obeundum. Cuique non sit ab Hæreticæ prauitatis Inquisitoribus inhibita facultas prædicandi. Prædicatores autem vbiquè, tamquam viri, qui suam, & aliorum salutem procurare desiderant, religiosè, & honestè se habeant, sicut pios, & Catholicos viros decet sui Saluatoris vestigia sequentes, cum Deo, vel de Deo secum, vel cum alijs vtiliter loquantur, vitent suspectam familiaritatem, caueantque, ne inter Concionandum mendacia, aut verba scandalosa, vel Hæresim sapientia populo annuncient: sed sincerè verbum Dei prædicēt, sanam doctrinam, & Catholicam veritatem doceant, Sanctamque Romanam Ecclesiam extollant, Sanctos Patres, & Catholicos Doctores, & Sacra Concilia sequantur. Et in omnibus, de quibus haberi sermo contingerit, in suis Concionibus sic sanctè, & purè dicant ad Populum, vt ita verè, & firmitèr sentire se ostēdant, quod Sancta Romana Ecclesia sentit, docet, prædicat, & obseruat. Si quis autem ad hanc deuenerit dementiam, vt minus sanam Doctrinam, & à Sancta Matre Ecclesia non approbatam, vel Hæreses aliquas docuerit, sciat, se mox esse præsentandum, & consignandum Officio Sanctissimæ Inquisitionis, debitas pænas recepturus. Si verò scandalo Populum offenderit,

nimis familiaritèr cum improbis conuersando, vel ludē-
do, aut blasphemando, munere prædicandi careat per quinquēnium. Prædicatores etiam non omittant, se Locorum Ordinarijs præsentare cū litteris testimonialibus Generalis, ab eis benedictionem recepturi. Et si contigerit eos in Parochialibus, vel in alijs Ecclesijs Religioni nostræ non subiectis prædicare, ab eisdem Ordinarijs non modo benedictionem accipiant, verum etiam licētiam prædicandi in scriptis habeant. Quòd si quis eò ambitionis venerit, vt sine Generalis licentia prædicare præsumat, gradu quolibet, ac prædicandi officio perpetuò priuatus existat. Prouideat etiam Prior Generalis, siue Prouincialis in suis visitationibus, si quomodo fieri potest, vt singulæ Ecclesiæ Parochiales Ordini subiectæ habeant Magistrum, vel alium idoneum, qui (Ex Bulla Refor.) saltem in diebus festiuis sermonem habeat ad Populū, & Sacrum Euangelium docendo exponat. (In singulis etiam Religionis Domibus omnibus Dominicis, & festis diebus prædicationes verbi Dei habeantur à viris idoneis) per Generalem, aut Prouincialem deputandis. ¶ Ne autem Ecclesiæ consuetis destituantur Missarum sacrificijs, in Quadragesima animaduertat Generalis, ne licentias ad prædicandum (Magistris, & Baccalaureis exceptis) nisi inspecta necessitate cuiuslibet Ecclesię alijs Patribus quantumuis probatis, concedat.



De Silentio. Cap. XVI.

SEruetur silentium tum in Dormitorio, post prandium, & post cænam, & idcirco aliquo temporis spatio transacto, & per sonum Campanellæ dato signo, quisque in suam Cellam se recipiat, ne volentes orare, studere, vel quiescere impediantur, vtque tempestiuè cubitum euntes ad Matutinum surgere possint, tum maxime in Sacrario, & in Choro, etiam quando non celebrantur Diuina Officia. Quòd si quis præsumpserit contra Priorem, dum aliquem corrigit, insurgere tàm in Refectorio, quàm alibi, aut cum eo altercari, vel obstrepere, is in Refectorio publicè coram alijs genuflexus veniam petat, & publica pariter disciplina plectatur; quam pænam etiam incurrat, qui, durante silentio, strepitum ediderit, verbis, aut alicuius rei proiectione, siue in contemptum, siue contra silentij obseruantiã facta. Qui verò immoderatos clamores in Monasterio emiserit, corripiatur à Priore in medio Refectorij genuflexus, & si semel correptus in idem reciderit, addatur publica disciplina; puniat etiam Prior obscena verba proferẽtes, mutuò diffidentes, minasque intentantes, addita quoque pro modo culpæ disciplina similitèr publica, maximè si id corã sæcularibus acciderit. Curet Prior, vt in medio Dormitorij totam noctem lampas colluceat, atque in loco satis conspicuo appendatur tabella, in qua descriptum sit, quid singulis horis agendum fuerit. †

De Refectione. Cap. XVII.

VIros decet Religiosos, sicut in omnibus suis actibus, ita in cibi sumptione Regularem obseruare disciplinam. Ideo hora competenti ante prandium, vel cœnam pulsetur Campana ad manuum ablutionem, quibus ablutis altero facto signo, Prior Fratres ad mensam introducat, quibus congregatis, dato signo, ab eodem fiat benedictio de more, & instituto S. Romanæ Ecclesiæ. Qua finita assideant omnes suis in locis à parte tantum interiori; exterius verò Prior nullũ sedere permittat, nisi casu necessitatis. Et qui ad legendum fuerit deputatus, legat semper aliquid de sacra Scriptura, vel de Sanctorum sermonibus; † lectio sit etiam de vita Sancti ea die occurrentis, vel ex aliquo spirituali Codice, de Regulari obseruantia, vel quid simile ad arbitrium Prioris. † Qualibet tamen quarta feria, & Sabbatho Constitutiones Ordinis legantur. Feria verò sexta Regula B. Augustini. Cùm autem à mensa surrexerint, gratiæ Deo agantur secundum Romanæ Ecclesiæ consuetudinem. Nullus autem Frater ad secundam mensam, aut etiam in Refectorio post gratias actas remaneat, exceptis Ministris, qui seruierint in prima, aut qui aliàs legitimè impediti, primæ non potuerint interesse, ita tamen, vt non sit opus tertia mensa. (Prælatus, Magistri, Fratresquè omnes etiam superiores, & quomodocumque priuilegiati (ægrotis tamen exceptis) in Refectorio cibum capiant, & communi mensa vtentes, communibus epulis vescantur,) nisi honesta aliqua ra-

Ex Bulla Refor.

tione, vel lectionum, vel Prædicationum cum illis fuerit dispensatum. Indecorúm quippe esset, in eadem Religiosorum mensa alios saturos esse, alios esurire. Habeatur verò ratio infirmorum, senum, Prædicatorum, & lectorum, itaut nihil eorum necessitati, & commoditati desit. Quibus omnibus cum non possit vnica ratione prouideri, prudētia Prioris Charitate comite his omnibus moderationem adhibebit.

De Ieiunijs. Cap. XVIII.

INter spiritualia ad edomandam carnem remedia non intimum locum tenet sæpè iteratum ieiunium. Idcirco præter ieiunia à Sancta Ecclesia statuta, quæ debent accuratissimè obseruari in ciborum delectu, comestionis tempore; & refectionis modo, Regularia etiam ieiunia, & quæ ab eadem Sancta Ecclesia omnibus generalitèr præcepta non sunt, paritèr seruentur. Verum in his à Prælato poterit dispensari pro locorum, temporum, & personarum ratione; † non dispensetur tamen super Ieiunio feriæ sextæ ob aliud ieiunium eiusdem Hebdomadæ, nisi immediatè præcesserit, vel subsequatur, neque super ieiunio Aduentus, nisi consultò Generali, aut saltem Prouinciali, præsertim in Conuentibus Collegiatis, neque pro tota familia. † Regularia verò ieiunia sunt à Dominica prima Aduentus, vsque ad Natiuitatem Domini, Vigiliæ quoque Conceptionis, Purificationis, Visitationis, Natiuitatis, & Præsentationis Beatæ Mariæ Virginis; nec non Vigilia Patris nostri Philippi, & qualibet sexta feria per

to-

totum annum. In diebus autem ieiuniorum ante horam comestionis dicatur Nona, & Missa de tempore: qua finita eant ad Refectionem. Reliquum verò diei orationibus, & lectionibus spiritualibus transigatur.

De Vestibus. Cap. XIX.

QVemadmodum Regulares à Secularibus moribus differre debent, ita, & indumentis. Idcirco his vestibus Fratres omnes vtantur. Tunica, patientia, scapulari, & cappa nigri coloris, & lànea, quæ vt seruetur Decus Religionis, nulla sint exquisita arte elaborata, sed omnis vanitas in valore, & ornatu penitùs fugiatur: Tantò .n. magis vestes honestati, & conditioni Regulari congruunt, quantò fuerint humiliores. Sintque vniformes, itaut vna ab alia non distinguatur. Tunica manicas habeat totas sutas, non sit aperta, sed clausa à pectore ad talos, & præcingatur zona nigra coriacea cum fibula ossea, vel ferrea absque ornatu, in qua nihil pendeat quòd leuitatem, vel curiositatē præseferat: longitudo verò tunicæ, patientiæ, & Cappæ (quæ saltem quattuor digitis suatur ante pectus, & nō sit rugosa) attingat dorsum pedis, & non excedat, itaut puluerem verrat, sed vt viros decet Religiosos. Neque sint nimium amplæ, sed quæ honestè corpori aptentur. † Habitus Religiosus exterior per Vrbem, semper sit integer, & longus ad talos, omnis ornatus sericus, argenteus, vel aureus, quin & color in omni re quamuis minima, præterquam in hisce Cōstitutionibus sit expressum, omnisque luxus penitus tollatur; Pilei sint vniformitèr reli-


religiosi; Bircta nō angularia, sed potius rotunda. Pallia, quibus cum pluit, ac in itinere dumtaxat vtendum est, simplicia. † Quæ verò interius deferuntur indumenta, sint lanea, aut linea, & ad summum coriacea, albi, aut nigri coloris, fine aliquo ornamento, fiatque ad propulsandum frigus, non ad luxum † Pelles magni valoris nō deferantur, † caligisque alterius coloris, quam albi nullus audeat vti, † Calcei verò albi tantūmodo sint, vel coriacei. Cothurni, & quæ extrinsecùs deferuntur in itinere, nigra sint, & simplicia sine vllo ornamento. Denique omnia indumenta sint Religiosa, & conformia Ordinis institutis, itaut regularem præseferant humilitatem: ad innocentiæ quippè, & humilitatis inditium hoc tegimur habitu. Super quibus omnibus inuigilēt Prælati, & hoc in suis scrutinijs, visitationibus, vel alias quandocunque diligenter perquirere teneantur. Et si quando irreligiosos, aut sericos, vel serico ornatos habitus inuenerint, eos omnino scindant, & auferant, ac pæna grauis culpæ puniant possessores. † Prouincialis verò in Visitationibus, ne dum transgressores corrigat, sed & ipsum Priorem in supradictorum executione negligentem repertum, etiā pro modo culpæ ab Officio suspendat. † In quacunque Domo sit vnum vestiariū commune, in quo omnia omnium Fratrum vestimenta conferantur: cui vestiario præficiatur custos, qui munditiæ, refectionis, & distributionis eorundem curam gerat. † Nullus præterea quamuis Magister quacunq; de causa annulos aureos, aut argenteos, vel alterius materiæ in digitis gestare præsumat, sub pæna priuationis vtriusque vocis ipso facto incurrenda, nec possit restitui, nisi per Generalem.

Ex Bulla Refor.

Ex Bulla Refor.

De Rasura. Cap. XX.

RAsura quoque sit in modum coronæ, & superius non modica, more secularium Clericorũ; sed ampla, vt mos est à Regularibus gestari, itaut ex omni parte sit rotunda. Capillique coronæ non excedant latitudinem duorum digitorum. † Qui Capilli circa tempora sint vniformes, nec promineant magis, quam ij, qui in vertice capitis ex necessitate permittuntur, sub pœna priuationis vtriusque vocis, ipso facto incurrenda, & ad arbitrium Generalis relaxãda. Prior, qui contrauenientes non corripuerit, officio priuetur, nulla admissa transgressionis, & negligentiæ excusatione. Qui excusari debent à natura propter infirmitatem, præcipuum offerant testimonium medici, quo probetur illud præcise infirmitatis genus reuera impedire rasuram. † Barba autem à nemine nutriatur; sed vt cuiusq; natura eam fert, deferant omnes, ita tamen, vt longitudo non excedat digitos duos, quæ verò est in superiori labro tondeatur, & decurtetur propter sumptionem sanctissimi Calicis Dom. N. Iesu Christi: quòd qui non fecerit, tandiu suspensus à Celebratione Missarum, & vtraque voce priuatus existat, quamdiu præsenti decreto fuerit inobediens.



De

De Clausura, & Cellis. Cap. XXI.

NE cuilibet pateat aditus egrediendi, & ingrediēdi septa Monasterij, debita clausura omninò seruetur, itaut nullus sæcularium introducatur mane, vsque ad horam diei tertiam, & à prandio vsque ad horam Vesperarum, atque ab hora cænæ deinceps. Nec scholæ sęcularium puerorum in Conuentibus vlla ex causa habeātur, nec pueri sęculares admittantur, cum Nouitijs ad lectiones, euiteturque nimia sæcularium familaritas, præsertim autem minus grauium personarum, & ad recreationes honestas, quæ more Religiosorum quandoque fieri solent sęculares, nō introducantur, nec admittantur, etiam si fuerint Clerici (exceptis insignioribus, & nobilioribus viris) ad audiendas lectiones in Cellis Fratrum, sed si contingat illas haberi, legantur in aliquo loco publico. † Nec fugiētes iustitiam sęculi, quouis quæsito colore in Monasterio recipiantur, †. & eo minus Banniti, Criminosi, & decoctores iuxta Decretum Clem. VIII. Bulla v. to. 3. fol. 83. nu. 36. † Non recitentur Comediæ, aut vanæ rapręsentationes, neq; Fratres propterea vestimenta à laicis sibi commodari faciant, aut commodata induāt. Et quoniam per clausuram nedum debent sæculares à Monasterio arceri; verum, & Religiosi in eo contineri, nullus Domo exeat, nisi cum socio, & Cappa, & tecto capite cum scapulari, & omnino sine bireto, & Prioris licentia, nec post prandium, vsquè ad Nonam, nec post Completorium. Diebus autem festis nulli egredi liceat, nisi aliqua vrgente causa, aut publica

necessitate, satisq; sit omnibus bis tantum in Hebdomada exire. Egressuri autem cum Cappis humilitèr inclinati à suo Prælato benedictionem petant. Prior autem sit diligens, ne eadem die omnes exeant, aut per Vrbem, Forum, aut vicos inhonestos percurrant, aut in apothecis maneant cum sæcularibus tempus conterentes, & de inanibus loquentes. † Cum quis Domum redit Superiorẽ iterum adeat benedictionem recepturus, qui à socio (hic autem non petentis rogatu, sed arbitrio superioris, nec id sæpius concedatur) itineris rationem, & quid rei actũ sit diligenter perquirant; licentię verò Generales exeundi nulli omnino concedantur. † Intra Monasteria arma cuiuscumque generis non habeantur, neque cultelli excedentes palmi mensuram. Cartis lusorijs, aut tesseris, siue aleis nullus omninò ludat: sed neque permissis ludis diebus festis, vel ieiuniorum; † In eisdem verò alio tempore cum sæcularibus nunquam se immisceant, & inter se certis horis, certisque diebus tantum ad corporis exercitium, sed nullo pacto dum persoluuntur Diuina sub pœnis pro modo culpæ infligendis. Non intersint Equorum cursibus, hastiludijs, & alijs publicis spectaculis vanis sub pœnis vt supra. † In Dormitorio sit vnicuique sua cella deputata, neque Prior Generalis, Prouincialis, aut Conuentualis, etiam prætextu priuilegij permissionum, seu inueteratæ consuetudinis, Ædes in claustro, vel alibi separatas habeat, sed quisque vnica Cella, eademque cum cæteris aliorum fratrum cõiuncta, nudis omnino parietibus, ac lectulo, & mẽsa humilibus, quemadmodum Pauperes Religiosos decet, contentos esse debeat. † Proinde omnia ornamenta minus Religiosa in Cellis Fratrum prohibentur, neq; Imagines, aut pictæ tabellæ

in ijs, nisi Sanctorum, aut honestæ habeantur. Prior autē sub pœna priuationis Officij omnia vana, & superflua tèneatur amouere. Et cameræ, siue Ædiculæ, quæ extra Dormitorium sunt, separatim ad officinas, aut alias ad communem vsum, & commoditatem cuiuscumque Cōuentus redigantur, si fieri possit, sin minus destruantur, ac materia, & cæmenta ad fabricam Conuentus, si opus fuerit, conuertantur, vel vendantur, & pretium ad communem vsum Conuentus conferatur. In Cella, ac etiam extra Monasterium semper vnusquisq; solus iaceat, vt suis temporibus orationi, & lectioni vacare possit. Et ne aduentu Hospitum alij fratres perturbentur, extra Dormitorium sit locus cum cubilibus ordinatè instructis, & omnibus necessarijs, iuxta Domorum facultatem.

De Itinerantibus. Cap. XXII.

CVm Ordinis nostri Frater aliquò quacunque de causa mittatur, habeat secū litteras testimonij à suo Priore (sine quibus à Conuētu nō recedat etiam prętextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missus, aut vocatus fuerit cum mandato in scriptis habito) † Neq; vllus ab vna Prouincia ad aliam si distēt inter se supra decem milliaria, sine licentia Prouincialis transire audeat. Fratrem alterius Religionis absque suorum superiorum licentia Prior non recipiat iuxta Constit. fel. recor. Sixti Papæ V. † In litteris autem testimonialibus (quando aliquis est rediturus) redeundi terminus præfigatur, quo elapso, arbitrio Superioris, si non reuersus fuerit, puniatur: Habeat Breuiarium, & si Cōuer.

Ex Côc. Trid. Sess. 25. cap. 4 de Reg. & Mon.

uersus fuerit, Coronam. Nec in itinere vllus arma secū (etiam prætextu defensionis) deferat; Antequam verò à Monasterio exeat, humilitèr petat benedictionem à suo Prælato, & si non sit eadem die reuersus, coram Altari, vel Imagine B. Virg. ad reuerentiā pergat dicturus genibus flexis Itinerarium secundum formam Breuiarij Romani. Iterumquè B. Virg. Imaginem, cum redierit, pro gratijs agendis adeat. Porrò cum peruenerit ad aliquod Monasterium statim adeat illius loci Priorem, aut Prouincialem, vel Generalem, si aliquem eorum adesse contingerit, quibus suam licentiam ostendat, sine qua si fuerit inuentus, ad suum Conuentum remittatur, nisi forte eius conditionis fuerit, vt de fuga illius non sit dubitandum. Si verò Clericus sine Breuiario, & Conuersus sine Corona iter habere præsumpserit, carceri mancipetur. † Nullus Romam petere audeat absque Generalis, seu Protectoris, si ad sit, licentia, sub pæna priuationis vtriusq; vocis per triennium, quam solus Pont. remittere potest. Prior tamen Prouincialis ex causa communi totius Prouinciæ dumtaxat huiusmodi facultatem concedere valeat. Qui autem sine illa Romam adire præsumpserit, vltra prædictam pænam per dies quindecim claudatur in Carcere. † Qui verò de sui superioris licentia Romam accesserit, statim se se Generali (si adfuerit) sin minus Procuratori Ordinis præsentet, à quo eundi per Vrbem facultatem recipiat, cum licentia tamen Prioris Conuentus; Et qui ad aliquem locum, vbi sit Cōuentus Ordinis ierit, nullo pacto præsumat ad Domum personarum tam sæcularium, quam Religiosarum accedere, vel in eis comedere, vel pernoctare, aut per Ciuitatem vagari, sed recto tramite ad locum Religio-

gio-

gionis se conferat: Quòd qui non fecerit, voce actiua, & passiua, atque omnibus officijs per triēnium priuetur. Itinerantes autem, si in aliquo deliquerint, Prior Prouincialis, vel Conuentualis liberam habeat corrigendi, & castigandi facultatem, tanquam si in suo Conuentu, vel Prouincia residerent. Et cum ad Conuentum peruenerint benignè recipiantur, eisquè de omnibus prouideatur, quæ hospitibus sunt necessaria, simulquè eorum pedes lauentur, & omnia ad humanitatem pertinentia illis pro Charitate exhibeantur.

De Infirmis. Cap. XXIII.

CIrca Infirmos caueat Prior, ne sit negligens, sed cum primùm aliquis ægrotauerit, curet, vt cōfiteatur peccata sua, & ipse per se ipsum tribuat infirmo Eucharistiā, & etiā (quando opus fuerit) extremam Vnctionem eodem infirmo ministret, nisi verè, & legitimè fuerit impeditus, hæc .n. duo maxime pertinēt ad animarum Pastorem. Et quoniam sic tractandi sunt Infirmi, vt citò releuentur, iuxta B. Patris Augustini præceptum, donec conualescant, in cibo, & potu, & medicaminibus, & cæteris, quæ morbum facere possunt leuiorē, vel penitùs propulsare, sunt humanè trāctandi, & benignè reficiēdi, prout Charitas docuerit. Et propterea locus pro Infirmis extra Dormitorium in quolibet Conuentu cōstituatur, cum omnibus necessarijs supellectilibus, prout facultas patietur. Minister quoque vnus, aut plures secundum multitudinem, aut exigentiam Infirmorum deputetur, qui eis die, nocteq; necessaria cum

omni

omni charitate ministrent, & Infirmos visitent, ac humaniter verbis, & obsequijs adiuuent, & quotidianæ orationis suffragio subleuent. Et vt omnia rectè agantur, habeant librũ, in quo scribantur, quæ pro Infirmis ab Aromatario recipiuntur, nullusquè aliquid ab eo recipere possit, nisi sit verè Infirmus, † & etiã si sit Infirmus aliquid recipere possit, nisi de Prioris licentia, & Medici consilio, scribanturq; omnia in lib. penes infirmarium existente, & penes Priorem extra causam infirmitatis, alioquin ad nihilum teneatur, Monasterium. † Nec aliquis sibi sanguinem minuat, aut medicinam sumat, aut colore licitæ opportunitatis quęsito ad balnea se conferat, absq; consilio Medici, & licentia Prioris, qui sæpè visitet Infirmos, & ad patientiam hortetur. Quando autem contigerit, quemquam in itinere ægrotare, Conuentus, vbi ægrotauerit, teneatur illi in omnibus subuenire, restituatur tamen, quod pro illius infirmitate fuerit expensum, ab eo Conuentu, in quo Conuentualis erat. Excepti autem intelligantur ab hac Constitut. Generalis, Prouincialis, & qui eos associantur, quos si contigerit in Visitationibus, aut alias in itinere ægrotare, fiãt expẽsæ ab eo Conuentu, vbi fuerint Infirmi, nec ab alio soluantur. † Si quis autem obierit extra claustra in itinere, bona illius ad vsum concessa, spectent ad illum Conuentum, in quo est assignatus de familia à die expeditæ obedientiæ, etiam si prædicta bona in Conuentu, cuius est filius, vel in alio reperirentur, & idcircò idem Conuentus, cui deuoluuntur, teneatur ad expensas factas in infirmitate, & sepultura fratris itinerantis: Quare ad euitandam confusionem, Prior statim ac illi constiterit, aliquem fratrẽ de sua familia per superiores remoueri, diem datæ obedien-

dientiæ visæ, & recognitæ adnotari faciat per Procuratorem in lib. publico. Excipiuntur à prædicta regula, bona Generalis, Procuratoris Ordinis, Prouincialis, Socij; & aliorum, qui ipsis Patribus quoquo pacto inseruiunt; horum omnium namq; bona sint Conuentus, cuius fuerint filij; expensæ autem extraordinariæ, quæ fortassè, honorificentiæ gratia in funeralibus Superiorum fieri possent, soluãtur à Conuentibus propriæ filiationis, sumptus verò infirmitatis fiant à Cõuentibus, in quibus decedunt. Inter preciosa recensentur res aureæ, siue argenteæ sacra indumenta, Imagines pictæ, vel sculptæ, Equi, & huiusmodi, alia verò quæcũque illa sint, & secum quis ad vsum detulerit pertineant ad Conu. in quo obierit, si ibi Conuentualis erat. Cætera autem sint eiusdem Domus filiationis, quæ tamen in superiorib' locũ nõ habeãt. Pecuniæ, reliqua prętiosa, & alia supra expressa quocunque modo acquisita ab aliquo Fratrum, qui per decem annos continuos commoratus fuerit in Conuentu, vbi obierit, si quæ reperta fuerint ęquis portionibus inter Cõuentum filiationis, & Conuentum habitationis, etiam si ab hoc per sex menses ante obitũ discesserit, diuidãtur.

De administratione bonorum. Cap. XXIV.

CVm domus nostræ ædificatæ sint supra paupertatis fundamentũ (Nemini liceat bona immobilia cuiuscumq; qualitatis fuerint, etiam ab eo quomodolibet acquisita, tanquam propria, aut etiã nomine Conuentus quouis modo, causa, & excogitato

Ex Cõc. Trid. Seff. 25. cap. 2 de Reg. & Mon. Ex Bulla Refor.

titulo, vel colore, etiam causa senij, infirmitatis, vel cuiuscumque pij operis prætextu, vel intuitu tenere,& possidere; sed omnia cum cæteris Conuētuum bonis incorporari, atque in plenam,& liberam Monasteriorum potestatem redigantur.) (Neque liceat superioribus bona immobilia alicui concedere, etiam ad vsumfructum,vel vsum, administrationem, aut commendam; sed fructus, qui inde percipiuntur sub fideli cura Officialium domus reponantur.) † Et qui in præmissorum aliquo deliquerit pænas nedum à Conc. Trid. præscriptas, nimirum priuationis vtriusq; vocis per biennium, sed alias quoque grauiores subeat arbitrio Superioris imponendas. Nulli liceat, cuiuscumque conditionis sit, ex pecunijs proprijs, quamuis ratione debitis, et ex patrimonio sibi tempore professionis reseruatis, vel labore,& industria propria acquisitis, vtpotè Prædicationibus, lectionibus,& similibus Monasterio, cuius est filius, aut alieno ad censum, vt aiunt, nomine proprio, Nepotum, Consanguineorū, aut familiariū, vt pro ipsis aliquid à Monasterio intuitu illius capitalis recipiant ad tempus, quouis titulo etiam beneuolentiæ, vel gratitudinis dare, sed omnes pecuniæ prouenientes intuitu particularium Fratrum, de consilio Patrum Discretorum Monasterij, vel incorporentur bonis publicis Conuentus, vel ponantur in deposito, vel fundentur in bonis stabilibus nomine Monasterij; * Ex redditibus tamen dictorum bonorum, valeant, & possint superiores Religionis necessitatibus eorum subuenire, quorum intuitu venerat capitale; * Quòd si alias, alio modo, titulo, vel tenore, quàm vt præfertur contractus (etiam de PP. Discretorum licentia) facti fuerint, & auctoritate superiorum confirmati, nulli omnino in-

telli-

telligantur. Caueant ne imposterum vigore talium pecuniarum Conuentus, quouis titulo, etiam gratitudinis pro Fratribus, quorum erant tales pecuniæ, ponant in deposito, nomine, seu intuitu ipsorum. Quòd vt sincerius præstare possint, Visitatores præcipiant Fratribus sub pæna excommunicationis ipso facto incurrenda, vt fidelitèr deponant, cuius fuerint tales pecuniæ. s. an donatæ, vel alio modo acquisitæ; quod si contractus iam initi, ficti reperti fuerint, itaut aliquis Frater dederit pecunias proprias, & finxerit sibi donari à cognatis, vel à quocunque alio, & quocunque titulo, & Frater liberè factum Superiori confessus fuerit, veniamq; petierit, parcatur ipsi, & ex redditibus arbitrio Superioris prouideatur de necessarijs, sin minus fuerit spontè confessus, sed ab aliquo accusatus, atq; conuictus à Superiore vti proprietarios, puniatur, omnesq; pecuniæ à Sindico in lib. accepti scribãtur, & cum alijs pecunijs Conuentus confundantur per manus Depositarij, cui traduntur. †(Bonorũ verò mobiliũ vsum Superiores concedere possint: Ex Bulla Refor. ita tamẽ vt eorũ supellex statui paupertatis, quam professi sũt, cõueniat, nihilq; superflui in ea sit, nihil ẽt, quod sit necessarium denegetur) De his tamen fiant inuẽtaria authentica in forma probante, quę inter cões scripturas custodiãtur. Nec tamẽ de bonis mobilibus sibi ad vsum cõcessis audeat quis suo arbitratu disponere, neq; ea extra loca Ordinis apud aliquos, quicũq; illi fuerint, tenere, vel reponere: & qui secus fecisse inuentus fuerit illis omnibus priuetur, & vtrãq; voce per triennium careat. In communi verò haberi possint tàm mobilia, quàm immobilia bona, quæ quoniam nisi à prudentibus Ministris fidelitèr custodiantur, facilè dissipari possunt; id- Ex Bulla Refor.

circo nullus omnino Priorum administrationem bonorum,& aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditauum suæ Domus, etiam nomine Cõuentus per se ipsum habere,siue exercere,vel in eis se se interponere possit: sed vniuersum id onus tribus Fratribus, ita demandetur, vt primus rerum,& bonorum, inferendorũque in eam reddituum curam habeat: alter tãquam Depositarius pecunias,ac ab illo importata fideliter asseruet; tertius de pecunijs, & rebus à Depositario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Domui vniuersæ de necessarijs (veluti dispẽsator) prouideat,mãdante tamen ipso Priore, qui vnicuique,non secundum proprium affectum,sed secundum Charitatis regulam prouidere curabit officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta. Hi autem reddant rationem suæ administrationis singulis mensibus) quæ antequam scribantur in diario Monasterij, per duos Patres prudẽtes à Capitulo deputatos examinentur diligentissimè cum præsentia Prioris Conuentus, & iuxta illorum cẽsuram scribantur in diario. Vt autem prouentus annuus sufficiat familiæ, fiat recta, & prudens consideratio annui prouentus in singulis Monasterijs, & deductis primum grauaminibus publicis, vectigalibus, decimis, collectis, & id genus cæteris (ne vllæ Domus supra vires, onerentur) decernatur à Generali, cum Prouinciali,& Socio matura præmissa deliberatione, qui numerus Fratrum ex illis prouentibus nutriri possit, consideratis obligationibus pro Missis dicendis, habitaq; ratione seniorum Patrũ, & Iuuenum instruendorum; ne maior sit impensa, quam redditus. Ita enim fiet,vt Fratres commodiùs intendant orationibus,sacrisque lectionibus, & in Monasterijs suis promptum Deo

exhi-

exhibeant famulatum. In quolibet Monasterio sit liber campioni, seu catastri authenticus in forma probante, in quo scribantur origo Cōuentus, Reliquiæ ibi existentes. (Omnia acta publica, inuentaria immobilium bonorum, iura, & Instrumenta ad illud Monasterium pertinentia, deque eo exemplum authēticum fiat duplicatum. Vt alterum in propria Domo remaneat; alterum verò in archiuio insignioris, seu principalis Domus eius Prouinciæ reponatur.) Ita & quilibet Prouincialis habeat librum, in quo scribantur origines Conuentuum suæ Prouinciæ; Reliquiæ quoque in illis existentes, omnia quoque acta, & iura ad illam Prouinciam pertinentia. Romæ quoque in Conuentu S. Marcelli sit publicum totius Religionis archiuium, & in eo habeatur liber, in quo descriptæ sint origines omnium Conuentuum ipsius Religionis, & Reliquiæ in omnibus Monasterijs existentes, atque ibidem asseruentur omnia iura publica ad totam Religionem spectantia, huiusque Archiuij custos sit Procurator Ordinis in Rom. Curia. (In omni etiam Domo sit locus tutus cum Armarijs, seu capsis, in quibus scripturæ, priuilegia, contractus, & omnia iura ad Domum pertinentia. itemquè res pretiosæ Ecclesiarum, etiam sacræ, cum suo inuentario, seu repertorio authentico asseruentur; præter eas, quæ quotidiano vsui sunt Ecclesiæ necessaria, quæ in Sacristia, & per Sacristiam custodiantur: ita tamen, vt res sacræ à prophanis distinguantur. Huius autem loci tres sint claues, quarum vna Prior, alteram Depositarius, tertiam Procurator Domus habeat. † Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præstationes ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distinctè fidelitèr, & diligentèr adnotari curent, neque in alios

Ex Bulla Refor.

Ex Bulla Refor.

alios vſus, quam ratione officij ſui neceſſarios quidquam expendant.†

De qualitatibus, & Poteſtate Generalis. Cap. XXV.

PRior Generalis ſit * quatenus aliter Capitulo Generali nō videatur * Magiſter in Theologia annorum ad minus quadraginta, qui in Religione permanſerit ad minus 10. annos proximos continuos; † fueritque in aliquo Religionis noſtræ maioris ſtudij Regēs, vel in aliqua publica vniuerſitate Theologiam legerit, vel in præcipuis Italię Vrbibus per ſexennium honorificè prædicauerit.† Nec manſerit extra loca Ordinis (etiā cum Superiorum licentia) proximo tranſacto ſexennio. Qui nunquā de Hæreſi fuerit ſuſpectus. Sitque boni nominis, & famæ, pręclaris moribus, rerum gerendarum prudentia, & vitæ ſanctitate cōſpicuus. Quique adminiſtrationis ſuæ aliquòd ſpecimen oſtenderit, nec fuerit in eo magiſtratu proximo ſexennio Habeat in toto Ordine generalem poteſtatem: non tamen, quæ ad alios Ordinis Prælatos ſpectant, agere debeat, niſi eis in ſuo officio negligentibus Fratrēs habentes ad ipſum recurſum, ſiue perſonalitèr, ſiue per litteras, ne obedientiam à Prouinciali, aut Priore iniunctam peragant, puniat. Debeatque ſi aliquid fecerit ſpectans ad Prouinciam, ſeu ad Conuentum, vel Fratrem aliquem Prouinciæ, Prouinciali ſignificare. Sit cuſtos legum, & ad earum obſeruantiam cæteros ſuo exemplo inducat. Omnia loca Religionis ſemel ſaltem in ſexennio cum Prouinciali, & ſocio viſitet, ne-

neque quicquam graue agat, sine illorum consilio. Habeat vocem in omnibus Capitulis Prouincialibus,& Cõuētualibus totius Religionis. Corrigat Fratres omnes,excessus grauissimæ culpę committentes, etiam extra Visitationem. In visitationibus verò excessus quoscunque. Inprimis curet,vt Prouinciales suo non desint muneri,eosque sæpè in Officio contineat hortando, corripiendo, & (si opus fuerit)corrigendo. Nō possit imponere subsidia charitatiua pro ordinarijs expensis in Rom. Curia, aut alibi. Si tamen contingat extraordinaria expēsa, vtpotè pro acquisitione alicuius loci,aut pro impressione librorū,cęteris huiusmodi,quæ in cōmodum publicum fiunt, expendatur de publico: idque non fiat, nisi de consensu Prouincialiū,& Sociorū. Habeat à Religione cōsuetum subsidiū quòd illi sufficiat pro expensis inter visitādum & gradu in Rom. Curia seruando. Nec à Monasterio S. Marcelli de Vrbe(si sibi diutiùs commorari contingerit) aliquid recipiat,aut exigat,post octo priores dies,pręter panem,& vinum pro victu suo,sociorumq;& famuli;cætera autem ex taxis à tota Religione secundum antiquā consuetudinem destinatis ipse sibi prouideat. Teneatur etiam Procuratori Ordinis in Romana Curia singulis quibuscunq; annis persoluere Ducatos aurei dę Camera sexaginta. Prior Generalis perfunctus suo magistratu redigatur in Ordinem; & corā tribus Iudicibus ab ipso Capitulo ad hoc deputatis, suæ administrationis, tàm publicè,quàm priuatè rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, vt ad omne mandatum .S. Congr. vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit. Idem Prior Generalis functo officio suo, nō præcedat Prouinciales in suis Pro-

uincijs, & in Capitulo Generali; secus extra Prouincias, & Capitulum Generale; nulli subditus sit, prætерquam Priori Generali, & habeat vocem passiuam post sexennium. † Si verò contingat, quod Prior Generalis decedat ante Capitulum; tunc qui fuerit Diffinitor Generalis illius Prouinciæ, in qua obierit, plenariam, & omnimodā authoritatem Prioris Generalis habeat, vsque ad Capitulum Generale, quòd nisi fuerit indictum, quamprimū indicere teneatur; habeatque ille sigillum Ordinis, & librum Constitutionum. Quòd Officium si peragere recusauerit, sententiam excommunicationis incurrat. Isque in futuro Capitulo Generali vocem non habeat; sed locum Generalis teneat; Magistratuque deposito nō gaudeat priuilegijs, quibus gaudent Generales, officio perfuncti. † Si Diffinitor Generalis qui vi legis successit in locum Generalis Defuncti, obierit, tunc non succedat Diffinitor Generalis illius Prouinciæ, in qua prędictus locū tenens, aut Vicarius quoquo pacto vocetur excessiè vita, sed à Sancta Sede de Vicario Apostolico prouideatur; Sac. Cong. Regul. sic statuit pro Capuccinis, & Seruitis anno 1632. mense Octobris in obitu Elisei. Si quando cōstituatur à S. Sede Vicarius Apostolicus, in Capitulo Generali à se congregato vocem actiuam habeat, & etiam passiuam, licet alias non fuerit præsentatus à Prouincijs ad Gradum Generalatus. Si idem Vicarius Apostolicus sit fortassè etiā primus Diffinitor post resignationem officij, in manu Diffinitoris subsequentis iuxta ordinem Prouinciarum, redeat ad suum locū primi Diffinitoris, ibi sedeat, suffragiū ferat, & pergat omnia, quæ ad primum Diffinitorem spectant, sic declarauit S. D. N. Vrbanus VIII. in litteris præsidentiæ 1633.

di-

directis Illustrifs. & Reuerendifs. D. Francisco Paulucio V. S. Referendario Apostolico; Generali autem decedente in Prouincia, quæ per obitum fortasse careat Diffinitore Generali, in locum Generalis defuncti succedat Diffinitor Prouincialis Magister primus secundum tempus suscepti Magisterij. Vicarius legis à die obitus Generalis, Vicarius autem Sedis Apostolicæ à die expeditionis litterarum Apostolicarum, teneatur statim indicere Capitulum celebrandum intra quatuor menses, & non vltra, †

De qualitatibus, & Officio Procuratoris Ordinis. Cap. XXVI.

PRocurator Ordinis in Romana Curia sit Magister in Theologia, eruditus, & prudens aptus ad orandum in Capella Sanctifs. D. N. Papæ, & aptus ad legendum per se ipsum publicè in studio Generali. Qui de Hæresi suspectus non fuerit, sitque bonæ nominis, & famæ, & vitæ inculpatæ, † neque possit abesse ab Vrbe vltra 15. dies, quod si vlterius abfuerit, Generalis alium vsque ad eius reditum substituere valeat, † qui legerit Theologiam per triennium in aliquo studio Religionis, aut publicè, & permãserit in Religione per annos viginti cõpletos. Teneatur habere duas Orationes in Capella Sanctifs. D. N. alteram in die Epiphaniæ, alteram in Dominica Passionis Domini, qui dies ad orandum in Capella Ordini nostro à Sancta Sede Apostolica sunt assignati. Negocia Religionis, & cuiuscunque Prouinciæ, aut Conuentus in Rom. Curia omni studio sollicitè tra-

ctare teneatur, & si contigerit litem versari inter Conuentum,& Fratrem aliquem,aut inter Superiorem,& inferiorem quempiam, teneatur Procurator tueri partes Conuentus,& Superioris. Non tamen possit nomi ne Religionis tractare, aut agere aliquid extra Rom. Cur. nisi de mādato Protectoris. †Habeat sigillum,in quo sit Imago B.Patris Nostri Philippi,cum litteris circūductis, vid. sigillum Procuratoris Ordinis Seruorum,vt illius litteris, siue patentibus (quando oporteat de mandato Generalis)certa fides haberi possit. †Si autem Procurator in causa aliqua pertractāda neglig ētèr cōpertus fuerit sese habere,poterit Generalis(si p̄sens fuerit)illi causæ superintēdere,si autē absens, Protectori significare, vt de eius consilio prouideatur. Procurator nulli sit subditus in Religione,nisi Priori Generali: cuius litteras omnes sibi directas teneatur redimere. Expensas vero, quas in recipiendis litteris à particularibus personis, Conuentibus, & Prouincijs faciet,illi teneantur soluere,quorum causa tractatur. Procurator maneat pro sua habitatione in Monasterio Sancti Marcelli de Vrbe, à quo habeat Medicum,medicinas,& cætera, quæ sunt in communi; liber sit tamen ab omnibus grauaminibus Monasterij. Cum verò perfunctus fuerit officio suo, maneat extra Rom. Curiam in sua Prouincia: † atque assumi non valeat ad idem Officium Procuratoris, nisi vacauerit per 12. Annos. Ad gradum verò Generalatus post sexennium assumi valeat,cæteris tamen concurrentibus requisitis. Procurator Ordinis non possit rescripta fauorabilia conficere, seu apponere in supplicibus libellis, seu petitionibus Fratrum, præsertim non studentium postulantium gradum Magisterij,contra,aut prater nostrarum Cōstitu-

tutionum decreta, etiamsi (quoad studentes) in sæculo, vel in aliena Religione studiorum cursum expleuerint. Idem quoque intelligatur de ijs, qui priuilegia vocis a-ctiuæ, aut passiuę contra statuta harum Constitutionum, & laudabilem consuetudinem Religionis sibi concedi præsumunt, & procurant, cui Decreto pareat etiam Generalis. † Si autem contingat Procuratorem Ordinis mori, aut inhabilem fieri, Generalis vna cum Prouinciali, & socio Prouinciæ Romanæ subrogent alium Procuratorem Ordinis vsque ad Capitulum Generale, qui tamen in futuro Capitulo Generali vocem non habeat. Idque omnino facere teneantur intra mensem à die, qua obitus eius, vel inhabilitas illis constiterit.

De qualitatibus, & potestate Prouincialis. Cap. XXVII.

PRior Prouincialis sit Magister in Theologia, † ad Magisterium assumptus iuxta præscriptum in his Cōstitutionibus c. 14. eiusdem Prouinciæ filius, in qua assumendus est, quique gestauerit habitum Religionis per annos 20. completos. Quod si ob Magistrorum paucitatem nullus electus remaneat per tres vices iteratis suffragijs, possit Magister alterius Prouincię, etiā absens, eligi: † Qui de Hæresi suspectus non fuerit, nec manserit extra claustra (etiam cum superiorum licentia) proximo triennio: Boni nominis, & famæ, & vitæ inculpatæ: Qui non fuerit Prouincialis eiusdē Prouinciæ proximo sexennio: Eius verò munus est, vt sollicitè inuigilet ad augumentum Prouinciæ sibi commissæ, omnesque ad

obſeruantiam Conſtitutionum verbo, & exẽplo, & correctionibus inducat. Quæ ad Priorem, & aliorum Officialium ſuæ Prouinciæ Officia pertinent, per ſeipſum non agat, niſi eis in ſuo officio negligentibus: Intentus tamen eis eſſe debet, ne proprio deſint muneri, monendo, & corrigendo. Viſitet omnia loca ſuæ Prouinciæ ſimul cũ Socio quolibet anno, quo Generalis non viſitauerit. Nec inter viſitandum quicquam graue agat ſine Socij conſilio. † Et ſi Prouincialis, & Socius inter ſe diſſidant in Viſitatione, conſulant Generalem, cuius tamen votum ibidem non expectent, ne Conuentus grauetur expẽſis, ſed cauſa illa tantum omiſſa viſitationem abſoluãt. † Cõmittentibus exceſſus grauiſſimæ culpæ pœnas non imponant, ſed tantum cauſas cognoſcat vſque ad ſententiam diffinitiuam excluſiuè, quam ad Generalem remittat. Si verò contingat cauſa terminata per Prouincialem appellatum fuiſſe iuſtis rationibus ad Generalem, & ille voluerit cauſam in ſecunda inſtantia alteri committere, non poſſit illam committere, niſi alterius Prouinciæ Prouinciali, actu exiſtenti, † vel vni ex ijs, qui tali munere fuerunt perfuncti. † Si verò contingat Prouincialem ab officio eſſe ſuſpenſum, aut quamcũq; ob cauſam inhabilem fieri, ſiue propter mentis infirmitatem ineptum, Generalis inſtituat Prouinciæ Rectorem, non tamen cum nomine Prioris Prouincialis. † Quod ſi contingat Prouincialem mortem obire, tunc Socius fungatur eius officio, & vocetur Rector Prouincialis; & ſi is ſit Magiſter aſſumat tanquam proſocium primum diffinitorem Prouincialem non Magiſtrum electum in præcedenti Capitulo: Si autem Socius nõ ſit Magiſter, aſſumat proſocium ſecũdum diffinitorem Magiſtrum electum pariter in præcedenti

Capitulo, qui assistat in visitationibus, & in Capitulo tantum, vsque ad noui Prouincialis electionem. Si Socius intra triennium obierit, Prouincialis assumat sibi prosocium primum Diffinitorem Prouincialẽ non Magistrum vsq; ad futurum Capitulum Prouinciale. † Corrigat excessus grauioris culpæ, & inter visitandum etiam, qui fuerint culpæ leuis, aut grauis. Habeat vocẽ in omni Capitulo Conuentuali suæ Prouinciæ. Disponat etiam familias Conuentuum, Fratres (cùm opus fuerit) ì loco ad locum transferens. Et Generali præcipienti, vt Fratrem ab aliquo Conuentu remoueatur, aut in aliquo assignet, omnino obediat. † Non possit tamen electiones Officialium, aut Discretorum, qui ad Capitulum Prouincialem mittendi sunt, retardare, aliàs electio eò ipso sit nulla, & ipse suspensus ab officio incurrat. Eundem Fratrem non sæpius, nec alios tempore Discretorum eligendorum, vt præfertur, transferat, nisi ratione scandali eo tempore incidentis, seu vrgenti de causa. Nec relegare valeat Fratres, aut eos abijcere à sua Prouincia in cõsultò Generali nec patentes ad beneuolos darẽ etiam si petãtur. † Fratres ad se venientes pro leui causa (vt tollatur occasio vagandi per Prouinciam) puniat. Accedendi ad Capitulum Generale, vel Prouinciale nemini licentiam concedat, nisi iusta, manifestaq; causa in litteris licentiæ exprimenda. Nullum alterius Prouinciæ Fratrem, qui non habeat litteras à Generali, vel à suo Prouinciali, recipiat, imò talem in carcere per hebdomadam mittat, deinde remittat ad suum Prouincialem. † Quòcunq; vacet officium alicuius Prioris, hoc est, obitu, priuatione, inhabilitate, renunciatione, &c. prouideat Prouincialis, nisi Generalis sit in Prouincia, isque substitutus per Ge-

neralem, aut per Prouincialem, dicatur, Vicarius Prior, qui tamen in Capitulo ratione Vicariatus vocem non habeat, nisi à principio ob vacationem quoquo modo sequutam institutus fuisset post electionem in Capitulo Prouinciali, & id intra mensem tantum, intelligaturque Prior pro primo Anno. Nequeat autẽ Prouincialis prædicare infra Annum extra suam Prouinciam, ne ipsa vt plurimum proprio destituatur Pastore. Rector Prouincialis institutus à Generali propter causas assignatas in Constit. perduret vsque ad futurum Capitulum Prouinciale proximè celebrãdũ. † Possit Prouincialis, quem voluerit locum in sua Prouincia eligere pro sua habitatione, illiq; prouideatur à Conuentibus secundum antiquas taxæ distributiones. Prouincialis librum habeat, quem dicunt registrum, in quo scribantur acta omnia ad regimen suum spectantia.

De qualitatibus, & Officio Socij. *Cap. XXVIII.*

SOcius assumatur ex Prouinciæ filijs, aut ex eis, qui in eam mãserint per proximè transactũ triẽnium. Sitque ex corpore Capituli Prouincialis, à quo est eligendus, † & annorum 35. & electus intelligatur ad triennium vnà cum Prouinciali. † Qui nunquam de hæresi suspectus fuerit; sed sit boni nominis, & famæ, & vitę inculpatæ. Et non fuerit in eodem officio per sexennium † Non præcedat quos aliàs non præcedit, nisi tempore Capituli, & Visitationis tantum. † Eius officium erit in Visitationibus Generali, & Prouinciali assistere, eisque secun-

cundum conſcientiam, quod iuſtum fuerit, conſulere. Nec vllum aliud poſſit habere officium per illud temporis, præterquam Regentis, Lectoris, vel Prædicatoris, & dum Generalem, aut Prouincialem in viſitationibus aſſociat, habeat vocem in omni Conuentu Prouinciæ; verum extra viſitationẽ non habeat vocẽ, niſi in Monaſterio ſuæ reſidentiæ. Habeat etiam Socius à ſua Prouincia ſubſidium pro viatico ſtatutum in Capitulo Generali Parmæ celebrato hoc anno Domini 1579. vt cum Prouinciali viſitationibus intereſſe poſſit. Si Socius obierit Prouincialis tanquam profocium habeat, vſque ad futurum Capitulum proximè celebrandum ſecundum Diffinitorem non Magiſtrum, cui aſſignetur viaticum ex portione debita ei qui obierit in officio.

De qualitatibus, & authoritate Prioris Conuentualis. Cap. XXIX.

QVi eligendus eſt in Priorẽ Conuentus Collegiati, iam miniſtrauerit in ordine Sacerdotali per quadriennium completum, in alijs verò ſatis erit ſi per triennium: ſed tamen tam pro Collegiatis, quàm non Collegiatis, manſerit in Religione per 12. annos, ſitque aptus ad Confeſſiones ſecularium audiendas, cuius idoneitatis Prouincialis, aut ſaltem vnus ex Prouinciæ Examinatoribus cum iuramẽto fidem faciat: nec fuerit Prior eiuſdem Cõuentus per quadriennium, nec per idem tempus immediatè præcedens continuum officium Prioratus exercuerit, niſi neceſſitas Generali, aut Prouinciali probata, aliud perſuaſerit

ferit. Non sit fraudis, aut malæ administrationis conuictus, vel confessus. † In Conuentu in quo electus fuit continuam personalem residentiam facere teneatur, nec inde possit abesse per mẽsem, nisi causa cognita, & probata, atq; in scriptis expressa per Prouincialem, Prioris autem, qui secus fecerit, Officium ipso iure vacare intelligatur, & Prouincialis (absente tamen Generali) ad institutionem alterius statim procedat. Excommunicandi fratres suos Prior facultatem nullam habeat, sed neque possit sententiam excommunicationis ferre pro rebus depręditis, vel sublatis, aut ad finem cuiuscũque reuelationis. Ecclesiæ in primis sit zelator, & præcipuam curam gerat, vt illa in suis structuris conseruetur, & reparetur: munda præterea, & expurgata (vti decet) contineatur, atque illi de libris, vasis, ornamentis, & alijs ad Altaris ministerium, & Diuinum cultum pertinentibus prouideatur; quæ munda præterea, & nitida conseruentur.) Mores Fratrum componat, culpasque eorum secundum decreta constitutionum corrigat: verum conuitcia, & contumelias in eos quauis ratione non proferat; Constitutiones seruet, & seruare faciat. Infirmis necessaria subministret. Singularitates in cibo caueat, & communem vitam cum Fratribus viuat: vt suis temporibus detur fratribus indumenta, curet: Officiales sui Conuentus in Officio teneat, obsecrando, arguendo, increpãdo, & corrigendo; Nulli particulari officio implicetur; sed omnibus semper sit intentus. Sine licentia Patrum ęs alienum non contrahat, aut bona mobilia vendat. Immobilia vero bona vendere non possit, nisi cum licentia Prioris Generalis in scriptis obtenta, vltra solemnitates à iure requisitas. † Non possit Fratrem aliquem carceri manci-

pare,

pare, nisi de consilio Patrum Discretorum, exceptis tamen casibus in hisce Constit. expressis. A Correptione Prioris nulla datur appellatio: si tamen correptus apud Prouincialem, vel Generalem id iniustè factum fuisse probauerit, sciat Prior se esse subiectum pœnæ suspensionis, vel depositionis ab officio pro excessus, & grauaminis qualitate. † Ædificia, propter quę opus esset vendere bona Monasterij, aut grauia contrahere debita, vel etiam, quæ fiunt solum ad curiositatem, non faciat quòd vt omnino seruet, nullum Ædificium excedens valorem duorum aureorum facere possit sine consensu Patrum. Et si valorem aureorũ viginti excesserit, vltra cõsensum Patrum, habeat etiam licẽtiam à Prouinciali in scriptis. Nihil etiam à Conuentu, cuius est Prior, pro exactione litterarum habeat, nisi illę sibi sint directæ à Generali, Procuratore Ordinis, aut Prouinciali pro ijs rebus tantùm, quæ ad Religionẽ pertinent † Non possit Prior, aut Procurator Conuentus, quacumque de causa, etiam prętextu, quod sint Creditores Monasterij, hoc est ratione administrationis tantum vendere necessaria ad victum Fratrum, vsq; ad nouam messem, & vindemiam, sub pœna inhabilitatis perpetuæ ad huiusmodi officia. † Omni mense diligentèr visitet cellas Fratrum, & si inuenerit illicita, vana, aut alias quomodolibet indecẽtia, tollat, corrumpat, & si fuerint vestimenta, mox scindat, & possessores puniat. Non possit autẽ Fratrem à Monasterio abijcere, aut alium recipere, nisi de Prouincialis expresso consensu. Præsente Generali, aut Prouinciali Fratribus non benedicat. Sententias Generalis, vel Prouincialis in Fratres delinquentes exequtioni mandet: quòd si secùs fecerit Officio priuetur. Fratres committentes excessus

grauis, vel leuis culpæ ipſe puniat, neque huiuſmodi ad Generalem, vel Prouincialem remittat, & alia quęcũque ad Patrem erga filios pertinere charitas ipſum docuerit, humilitèr peragere ſtudeat.

De Officialium Conuentuum qualitatibus. Cap. XXX.

HAbeat Prior in ſuo Conuentu Patres Diſcretos, qui ſint primùm Magiſtri omnes, Procurator Conuentus, † Sindicus, Depoſitarius, & Baccalaureus Conuentus in Monaſterio, in quo ſit ſtudium maius, † & Patres, qui quadrageſimum Annum exceſſerint, nec fraudis, aut furti crimine vnquam fuerint conuicti, aut confeſſi: de quorum conſilio omnia negocia Monaſterij tractentur, & in difficilioribus caſibus illos habeat coadiutores. †Vbi non fuerint quinque Patres ad conſulendum, & deliberandum per ſuffragia, vnà cum Priore, vel cum eius Vicario, qui abſente Priore habeat vocem inter Patres, licet alioquin non fuerit quadragenarius, vocentur Sacerdotes omnes loco Patrum Diſcretorum ;† ne deficiente eorum numero, Conuentus regimen exerceatur Prioris arbitrio. Habeat etiam officiales, miniſtros, & cooperatores: Sacriſtam (Sindicum, Depoſitarium, & Procuratorem, quorum officia ſingula per diuerſas perſonas adminiſtrentur.) Habeat etiam æduliorum diſpenſatorem, panis, & vini cuſtodem, Hoſpitalarium, Infirmarium, Magiſtrum Nouitiorum, Magiſtrum Iuuenum Profeſſorum, Ianitorem, & alios pro locorum neceſſitate, quorum officia diuerſis, diſtinctiſq;

Ex Bulla Refor.

per-

personis à Capitulo distribuantur, si tamen id commodè fieri possit; singulis enim ad singulas res agendas dispositis, res dubio procul melius succedent. † qui officiales eligantur singulis annis intra mensem à Celebratione Capituli Prouincialis; † Sacrista esse non possit, qui non fuerit in sacris Ordinibus constitutus, moribus ornatus, patiens, diligens rerũ Sacrarum custos, sollicitus ad Diuinum cultum, & ex omni parte honestus. Sindicus, Depositarius, & Procurator Conuentus sint Sacerdotes, nunquam furti, fraudis, malæ administrationis, aut alearum vsus condemnati. Procurator, quamprimum electus fuerit, cum Priore coram duobus Patribus Discretis, sub pœna priuationis officij intra mensem faciat inuentarium, in quo vniuersa supellex Sacristię, Dormitorij, Infirmariæ, Hospitij, Coquinæ, Cellarij, & Refectorij scribantur; † quæ inuentaria consignentur Officialibus, seu Custodibus, qui se subscribant in lib. Inuentariorum, vt si quid eorum incuria defuerit puniri possint Prouincialis arbitrio. † Sindicus, & Procurator singulis mensibus coram Capitulo rationem suæ administrationis reddant sub pęna priuationis Officij, cui omnes PP. de familia interesse debeant, nisi fuerint legitima causa impediti. In Conuentibus autem vnitis, qui prouentus tractat, rationem reddere teneatur singulis quibuscumque sex Mensibus Conuentui Principali. † Libri introitus, & exitus, vnà cum alijs libris Conuentus præteriti temporis in loco tuto conseruentur cum alijs scripturis publicis, & quomodolibet ad ipsum Conuentum spectantibus, vt cum opus fuerit, legi possint, & hoc sub pęna priuationis Officij Prioratus, & inhabilitatis ad quæcumque officia per quinquẽnium Libri administra-

tionis Conuentuum vnitorum, cum completi fuerint, deferantur ad Conuentum principalem, ibique asseruetur. Cæterorum verò Conuentuum, siue maiorum, siue Minorum Priores prædecessores, teneantur Inuentaria, & libros omnes administrationis in fine officij consignare successoribus, aliaquè omnia iura Monasterij coram testibus, & per scripturam, quam requisiti exhibere possint, sub pęnis de quibus supra. † Si vero aliquod arduum negocium Procuratori, seu Sindico occurrat, intimet Priori, & Prior Patribus, & illi quòd iustum, & honestum fuerit decernant. Quòd si Prior negligens fuerit, vel malitiosè proponere recusauerit, ipse Procurator, seu Sindicus, aut significet Priori Prouinciali, aut per se Patribus proponat. Et ne pro vnius arbitrio publica bona administrentur, Sindicus, aut Procurator bona mobilia non vendāt, aut permutent: Domos, aut possessiones non locent, aut conducant: Inquilinos non mutent: Monasterij pecunias mutuo non dent. † Non liceat alicui Fratrum, quicumque ille sit, neque etiam Priori, nisi pro expensis ordinarijs, & quotidianis, qnoad obsonium debitum contrahere, absque consilio, & consensu Discretorum Patrum, sub pæna priuationis vtriusque vocis per triennium † Ex pecunijs verò Conuentus, siue alterius cuiusquam mercaturam non exerceant, sub pœna grauioris culpæ, & inhabilitatis perpetuæ ad quæcunq; Officia (Munera, aut Xenia quocunque modo non mittantur, nec quisquam (etiam in officio existens) pecunias, aut quicquam aliud de Prouincia, seu Domo sibi commissa, vel aliunde, Priori Generali, seu alij cuicunque conferat, aut remittat. Et quicunque secus fecerint in pænam priuationis Prioratuū, & Officiorum omnium

inci-

incidant, & ad futura inhabiles habeantur, & pro culpis etiam tanquam fures puniantur, prout per Constitutionem Sanctæ Mem. Pij Papæ V. Priuati,& inhabiles declarantur eo ipso. Procuratori tamen Generali ex vniuerso Ordine, ac Prouincialibus Prioribus ex sua cuiq; Prouincia, & Visitatoribus ex Domibus, & locis visitandis debitis neququam sublatis.

De Officio, & potestate Vicarij. Cap. XXXI.

QVoniam Prælati vbique, & in omnibus semper præsto esse non possunt, æquum est,vt quæ per se ipsos nequeunt agere,per alios faciant. Propterea illis concedendum est,vt iustis de causis impediti alijs vices suas committere possint.Verũ quoniam nisi hæc facultas constituendi Vicarios lege coerceatur,plura scãdala parere solet,statuimus,vt Vicarius substitutus à Generali pro Capitulo Prouinciali celebrando locum Generalis teneat, postquam (Capitulo congregato per Prouincialem ad hunc effectum)patentes litteræ suæ substitutionis lectæ fuerint, vsque dum Capitulum fuerit absolutum. Vicarius Generalis tam in Capitulo Prouinciali, quam in Visitationibus possit vices supplere ipsius Generalis, etiam quoad dimissorias Sacri Ordinis, & ad quæcumque alia, quæ facere possit ipse Generalis,si adesset,nisi huiusmodi autoritas ab ipso Generali fuerit restricta.Si Prior Generalis extra Italiã pergat,possit Vicarium in vniuersa Italia substituere. Vicarij Generales,qui transmitti solent in Hispaniam,

Ga-

Galiam, Germaniam, Corsicam, & Sardiniam, non concedant facultatem Fratribus inde abeundi, neque etiam eos dimittant, nisi consulto Generali; insuper caueāt sub pœna inhabilitatis perpetuæ ad quoscunque gradus, & dignitates, & priuationis eorum, quos forte obtinent, ne Conuersis coronam clericalem, & dimissorias ad ordines suscipiendos concedant, neque clericos alterius Prouinciæ ordinari permittant, absque Generalis, vel saltem suorum Prouincialium dimissorijs, nisi ibi per aliquod tempus notabile, idest saltē per annum resederint. † Prouincialis in sua Prouincia existens Vicarium substituere non possit, absens autem possit deputare Vicarium, qui habeat omnes vices Prouincialis; citra tamen facultatē suspendendi Priores. Prior autem Conuentualis in suo Conuentu Vicarium substituere possit, qui tamen teneat locum suæ professionis, nec quicquā habeat supra alios pro vestimentis. Sed Vicarij omnes substituti sint amouibiles ad nutum substituentium Superiorum. † Quorumcumque verò Vicariorum officium vacare intelligatur, vacante officio substituentium, quòd si vacauerit officiū Prioris quacumque de causa, tunc dignior primum si adsit, sin minus senior Conuentus regimen (tenendo tamē locum suæ professionis, aut gradus) suscipiat, donec per Generalem, aut per Prouincialem prouisum fuerit. Idem obseruetur, si contingat Priorem, eiusque Vicarium à Conuentu abesse; fratres per id tempus parere teneantur digniori, si adsit, sin minus seniori. Commissarij Generales, aut Prouinciales ad causas qualcumque deputati, non vocentur Vicarij, nec post publicationem litterarum Commissorialium teneant locum, nisi quem obtinent à professione, vel à gradu personali. Vicarij pariter

Pro-

Prouinciales, qui institui solent in absentia Prouincialis, eodem modo se habeant in obtinendo loco; supremum tamen tenere possint per id præcisum temporis spatium, quo aliqua necessaria occurrerit functionis causa, qua expleta, redeant ad locum suum. †

De Visitationibus. Cap. XXXII.

QVoniam humana fragilitate Religiones omnes semper a suis primis institutis relaxari solent, nisi assiduè ad Regularem disciplinam Superiorum diligentia reuocentur. Teneatur Generalis saltem semel † in toto sui regiminis tempore, † visitare omnia loca cuiuslibet Prouinciæ cum Prouinciali, & Socio earundem. Et Prior Prouincialis simul cum Socio visitare debeat omnes suæ Prouinciæ Conuentus semel in anno, quando non visitauerit vna cum Generali. Cumque ad Conuentum aliquem visitandum peruenerint, in primis congregato Capitulo per Priorem Generalem, siue Prouincialem sermo ad Patres habeatur, in quo visitandi Conuẽtum necessitas, aut opportunitas proponatur, admoneanturq; omnes, vt Deum, atque conscientiam ante oculos habentes, remotis gratia, amore, odio, vel timore, atque omni humano respectu, Visitatoribus sincerè dicant, quæ nouerint reformatione, aut correctione indigere: idque solum faciant ex sinceritate fraternæ dilectionis, & amore Ordinis: vt peccantes emendentur, non vt confundantur. Deinde Visitatores visitent Ecclesiam, animaduertentes an Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, & Reliquiæ Sanctorum (vt de-

cet) saluentur. An Altaria,& tota Ecclesia munda,& nitida, atque cum omni necessario ornamento custodiantur. An Calices,& vasa sacra integra sint,& incorrupta. An habeantur paramenta, libri, atque ornamenta necessaria, quæ pariter non lacera: sed munda, & nitida custodiantur. An in Capitulo, vel alio publico loco indecẽs aliquid reperiatur. An in cellis Fratrum prophani, curiosi, vel irreligiosi habitus, aut curiosum quid, vel superfluum, aut alia minus honesta, & contra regularem obseruantiam retineantur. Videant deinde, an numerus Fratrum, qui manere debent in Conuentu, integer sit, Inuentariaque bonorum mobilium, & immobilium, & librum accepti, & expensi scrutentur. Faciant etiam diligens scrutinium super libris, & scripturis prohibitis, aut suspectis, aut superstitiosis,& vanis, vel praui exempli. Et consideratis omnibus, quæ oculis inspici possunt in tota Domo, omnes, qui sunt de Conuentu sigillatim à Minoribus incipiendo examinent, delato eis prius iuramẽto, vt sincerè dicant, quæ nouerint reformatione in suo Conuentu indigere, exceptis tamen ijs occultis criminibus, quorum nulla præcesserunt inditia, nec antecessit infamia. Sciant tamen Fratres, quod si quæ, etiam occultissima, nouerint, poterunt Prælato reuelare, non ad vindictam tanquam Iudicis, sed tanquam pio Patri, vt ille peccantem secretò corripiat: verùm ad id iuramẽti vigore non tenentur. Et Visitatores huiusmodi secreta sibi propalata sub interminatione Diuini Iudicij, sciant, ab ipsis esse penitus occultanda, & nunquam propalanda. Quæ autem ex non occultis sunt à visitandis perquirenda, hæc sunt. An cunctis Horis Canonicis diuinis, atque nocturnis Choro intersint. An obligationibus Cõ-

Ex cap. qualiter, & quãdo de Accu

uentus in Anniuersarijs, & Missis celebrandis satisfiat. An casus conscientiæ statutis diebus legantur. An Ieiunia Regularia seruentur. An Prior in corrigendis excessibus sit negligens, vel in dispensando prodigus. Atque an in moribus aliqua sint corrigenda. An Regula, Constitutiones, & alia Regularis obseruantiæ instituta seruentur. An temporalia à Priore, & Procuratore, cæterisque Officialibus fideliter administrentur; † & inter alia, an sit, & rectè custodiatur Archiuium Conuentus; debent etiam Visitatores ipsi requirere, & rationes diligenter inire circa sumptum frumenti, vini, olei, & aliorum id genus, Priorem, si plus iusto dictarum rerum (habita ratione familiæ, quæstus, & aduenarum, de quibus liber proferri debebit, nempe eleemosinarum, & aduenarum) insumptum fuerit punientes, prout in Capitulo de grauiori culpa. † An Priori obediant, & charitate mutua se prosequantur. An sit in Conuentu aliquis proprietarius, aut aliquis susurrator, vel bilinguis pacē perturbans. An nimis frequenter conuersationem cum sæcularibus (maximè scandalosis) Fratres habeant. Si Nouitij, & Iuuenes Professi sanctè, & piè instituantur. Si legantur quotidiè statutæ lectiones. Examinentur deinde admittēdi ad studia iuxta Constitutiones cap. 13. tatque etiam admissi de licentia tamen Generalis, quando per se, vel per suum Vicarium non visitauerit, minimè autem sine illa, & qui non profecerint, etiamsi fuerint Baccalaurei, vt supra Capitulo de studentibus, priuentur de mandato eiusdem Generalis, nomine, & priulegijs studentium, aut Baccalaureorum. † Examinentur etiam ad Ordines promouendi, atque ad sęcularium Confessiones audiendas præsentandi Ordi-

narijs Locorum, à quibus erunt approbandi; & si quæ iuueniantur reformatione indigere, reformentur, atque mandata omnia, quæ de reformando Visitatores fecerint in scriptis redigantur. Fiántque exempla duo, quorum alterum Priori tradatur, vt in eo contenta decreta executioni mandet, alterum remaneat apud Prouincialem, ad quem pertinebit in sequenti Visitatione aduertere, an monita, vel præcepta præcedentis visitationis executioni fuerint demandata. Corriganturque delicta, Fratresq; peccantes corripiantur occultè, vel publicè, vt delicti qualitas postulauerit. Et si Prior in corrigēdis excessibus per annum commissis negligens fuerit, qui peccauerint, iuxta Constitutiones corrigantur, & Prior (vt negligētię qualitas postulauerit) corripiatur. Et si reperti fuerint libri vani, igni tradantur, & is, apud quem inuenti fuerint, puniatur. Si verò aliqui Regentes, aut Lectores, aut alij Fratres de Fide suspecti inueniantur, Officio Sanctissimæ Inquisitionis deferantur. (Qui autem libros prohibitos habere sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, fuerint deprehensi, vltra pœnas iuris communis, & quæ à Sancto Officio Inquisitionis hæreticæ prauitatis talibus imponuntur, perpetuo munere legendi, prædicandi, & cōfessiones audiendi priuati existant, ad omnia item officia inhabiles actiua voce careant, & passiua.) † Non liceat superioribus finita visitatione aliquē molestare, occasione eorum, quæ in Visitatione habita fuere, nisi causa aliqua occurrerit, quæ in Visitatione expediri non potuerit, quam tamen teneantur quàm primum terminare, alias Generalis ipse prouidere possit. † Completa autem visitatione fiat sermo ad Fratres exhortatorius ad vitæ profectum, & mutuam Charitatem,

Ex Bulla Refor.

L obser-

obſeruationemque Conſtitutionum,& eorum, quæ inter viſitandum decreta fuerint. Fiat deinde Confeſſio, & abſolutio communis, iniunganturque ſingulis Sacerdotibus, & Clericis † Pſalmi graduales bis recitandi, laicis verò Corona B. V. Poſſitque Prior Generalis, ſiue Prouicialis (ſi oportunitas id poſtulauerit) aliquibus prouidis Patribus facultatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis concedere. Ne verò loca immodicis expenſis grauentur, quàm breuiſſimè fieri poterit, abſoluatur viſitatio; neque (ſi commoditas id conceſſerit) vltra triduum prorogetur. Parcitate victus ſint contenti Viſitatores, ne ad epulandum potius, quam ad viſitandum acceſſiſſe videantur. Quòd ne diſſimulare poſſint, ſubſcribantur ab ipſis quotidiè expenſarum pro eorum victu factarum ſchedulæ, † quam ſchedulam teneatur Procurator ſubſcribi facere ab ipſis Viſitatoribus, eamque, cum rationẽ reddit, producere, alias expenſæ illæ à Patribus non admittantur. † Sciantque denique Viſitatores, eam requiri diligentiam in viſitando, quaſi (ſi fieri poſſit) non oporteat amplius ea loca viſitare.

De leui culpa. Cap. XXXIII.

SCiant Religioſi Prælati, paria non eſſe peccata; ſed alia leuia delicta eſſe, quędam grauia, nonnulla grauiora, aliqua etiam inter grauiſſima numerari. Leuis culpa eſt: ſi quis mox vt ſignum factum fuerit, relictis omnibus cum matura feſtinatione ad Eccleſiam compoſitè, & integro habitu non venerit. Si quis in Choro non rectè legerit, aut cantauerit, & errans ſta-

tim se coram omnibus non humiliauerit. Si quis Diuino non intentus officio, vagis oculis, & irreligioso motu leuitatem mentis ostenderit. Si quis in Ecclesia, Dormitorio, vel cellis obstrepuerit. Si quis lectionem, vel cãtum, statuto tempore non præuiderit. Si quis aliud legere, vel cãtare præsumpserit, quam communis vsus habeat, cum Diuina celebrantur. Si quis dormierit dum officia persoluuntur. Si quis Ecclesiæ, vel Altarium ornamenta negligenter tractauerit. Si liber in quo legendum est, alicuius negligentia defuerit. Si quis statutis temporibus cum alijs lectionem auditurus non adfuerit. Si quis in Conuentum hora, qua debet, redire distulerit. Si quis ad Capitulum Conuentuale non accesserit, aut communi refectioni non interfuerit. Si quis tempore silentij, aut clausuræ sæculares in Conuentum admiserit. Si quis silentium fregerit. Si quis verba vana dixerit. Si quis dissolutè ridens dictis, vel factis alios ad risum excitauerit. Si quis oculos vagos per vias ad vana direxerit. Si quis integro habitu non incesserit indutus. Si quis vtensilium aliquid fregerit, vel perdiderit. Si quis cibi, vel potus aliquid effuderit. Si quis cibum, vel potum ante benedictionem sumpserit. Si quis libros vanos, vel curiosos legerit, aut apud se retinuerit. Si quis Officialis in ijs, quæ ad officium suum spectant, negligens fuerit. Et tandem si quis publicè aliquod peccatum inter mortalia non connumeratum commiserit. Sic peccantes Prior Conuentualis occultè, aut publicè corripiat, aut disciplina imposita corrigat, vel orationes aliquas pro pœnitentia salutari dicere iubeat, prout qualitas, frequentia, atque personæ conditio postulare videbuntur. † Prior omittens supradictas correptiones, si in visitatione id compertum fuerit, publicè corrigatur.†

De

De graui culpa. Cap. XXXIV.

GRauitèr autem peccant, qui non communicant, aut non confitẽtur, aut Missam non celebrant, vel non audiunt tempore debito, & præsentibus Constitutionibus præscripto sine causa. Qui inter celebrationem Missarum non vtuntur cæremonijs Missalis Romani reformati. Qui nec in Choro, nec priuatim Diuinum Officium persoluunt. Qui Ieiunia Ecclesiæ, vel Regularia sine dispensatione frãgunt. Qui abutũtur verbis Sacrarum litterarum, aut Deum, vel Sanctos blasphemant. Corrigi autem debeant hi omnes à Priore Conuentuali per publicam disciplinam, & impositionẽ ieiunij bis in hebdomada per mensem, & aliàs etiam per plures dies, prout ei (attentis specialibus delictis, & personæ circunstantijs) videbitur expedire. Grauitèr etiam peccat, qui Domo nocte exit. Qui in Ecclesia, aut alias publicè non sine scandalo cum fæmina solus loquitur. Hos Prior corrigere debet imposita pænitentia carceris per octo dies, & recitationis Psalmorum pænitentialium quotidiè per mensem. Grauitèr etiam peccat qui aliquem percutit sine sanguinis effusione. Hunc, Prior, postquam ab Excõmunicatione (si tamen id humilitèr petierit) absoluerit, per quindecim dies in carcere claudat, & ieiunium bis in hebdomada in pane, & aqua imponat, & maiorem etiam iniungat pænitentiã, secundum criminis qualitatem. Grauitèr etiam peccat, qui audiẽtibus sęcularibus cum aliquo immoderatè cõtendit. Qui alteri contumeliam dicit. Qui suam, vel al-

terius culpam cum pertinacia defendit. Qui inter Fratres discordiam seminat. Qui mendacium perniciosum ex industria Prælato dicit. Qui eum, à quo coram Prælato criminis alicuius causa delatus est, maledictis insequitur, aut ei comminatur. Qui Fratri præteritam culpam, pro qua satisfecerit, improperat. Qui mala de Parentibus, vel cognatis, aut domibus Fratris alicuius subdolè dicit. Hos Prior puniat publica disciplina, & ieiunia iniungat pro excessuum qualitate. Grauitèr etiam peccat Domo exiens sine licentia. Accedens ad Monasteria Monialium. Ludens cum sæcularibus extra Monasterium. Arma inter septa Monasterij retinens, aut in itinere deferens. Gestans habitum præter consuetudinem. Hos puniat Prior correctione publica, & releget in Monasterio per duos menses. † Peccat grauitèr ludens cum sæcularibus extra Monasterium ludo licito, nā illicito ludens, tàm extra, quàm intra, pæna grauiori puniri debet, & Prior si in Visitatione, vel extra conuictus fuerit, quòd scientèr prædictas pænas exequutioni non demandauerit, suspendatur ab Officio per mensem.

De grauiori culpa. Cap. XXXV.

GRauius autem peccat quicunque blasphemias hæreticales dixerit in Deum, & Beatam Virginem Mariam, vel alios Sanctos. Is conuictus, vel confessus per mensem saltem includatur in carcere, & ieiunet bis in hebdomada in pane, & aqua per annū. Qui accedit frequentèr ad Monialium Monasteria. Hic ab eadem Ciuitate exulet secundum Superioris arbitrium

trium. Qui aliquem contra veritatem infamasse, aut in causa criminali falsum testimonium dixisse, conuictus, vel confessus fuerit, perpetua infamia sit notatus, & voce actiua, & passiua per triennium careat, quo etiã tempore qualibet hebdomada semel disciplinam suscipiat, atque alias salutares pænitentias arbitrio Superioris imponendas peragat. † Qui verò aliquem libello infamauerit, is infamia perpetuò notetur, & carceri mancipetur per mensem. † Qui falsificauerit litteras, vel sigillum Prouincialis, per mensem carceri mancipetur, & ab ea Prouincia perpetuò sit exul, & alias salutares pœnitentias Superiorum impositione persoluat. Qui litteras Superiorum interceperit, aut aperuerit, si gradus habeat, illis priuetur, nec ad eos recipiatur, nisi à Capitulo Generali; si autem gradus non habeat, vtraque voce careat, nec restitui possit, nisi per Capitulum Generale. † Qui litteras aliorum Fratrum aperuerit, aut interceperit, is voce actiua, & passiua per triennium careat. † Qui furti conuictus, aut confessus fuerit, vltra restitutionẽ, & infamiam, priuatus sit perpetuò quacunque administratione, & si rei sacræ furtũ fuerit, relegetur perpetuò in aliquo Monasterio ad agendam pænitentiam. † Qui res Conuẽtuum dilapidauerit, aut malè administrauerit per triennium quauis administratione priuatus existat, & quandiù damnum non resarciuerit vtraque voce careat. Qui malè Domum administrauerit, ita ut plus iusto consumi permiserit, vel fruges Monasterij vendiderit, vel emerit minus canonicè, vel Domum sibi commissam rebus necessarijs desertam reliquerit, aut ęs alienum absque necessitate ædificij, seu restaurationis, vel non vrgente extraordinariæ impensæ necessitate contraxerit, careat omni

administratione per decennium, & vtraque voce quoad omnimodam satisfactionem. Qui negociationes, aut mercaturas exercuerit, præter bonorum amissionem, quacunque administratione, & vtraque voce per triennium priuatur. Qui negotia secularium etiam propinquorum * sine licētia Superiorum, si charitas erga proximos aliter non suadeat, remoueatur à Conuentu, in quo erit per annum. Qui vixerit in concubinatu, si sine publico scandalo id contigerit, exulet à Prouincia, in qua delictum commisit, per triennium; si verò publicè, & cum scandalo id constaret, exulet perpetuò, suspendaturque ab executione Ordinum, & ieiunia ei imponantur per id tempus, quod Superiori videbitur expedire. Qui autē fornicationem commiserit, ieiunet bis in hebdomada in pane, & aqua per annum, & à loco vbi delictum commisit, post susceptam publicè disciplinam, exulet per biennium. Qui deprehensus fuerit sine Religionis habitu claustra Monasterij exire, à Prouincia, vbi deliquerit, exulet per biennium, & in Monasterium aliquod relegetur per annum ad agendas salutares pœnitentias, quas Superior iniunxerit. Qui bona immobilia contra votum paupertatis, & decreta Sacri Generalis Concilij Tridentini, & Constitutiones Ordinis possederit præter ammissionem bonorum, quacumque administratione per decennium priuetur. Qui bis in die, vel non ieiunus celebrauerit, aut ordinari procurauerit ante ætatem perscriptam ab eodem Sacro Concilio Tridentino, vel per saltum, aut sine litteris dimissorijs Generalis, vltra pænas Canonicas, carceri mancipetur per duos menses. Qui peccata in Sacramentali Confessione audita ausus fuerit aliquo modo reuelare, perpetuò priuetur ab auditio-

ne confeſſionum, relegeturq; in Monaſterio ad pœnitentiam peragendam. Qui crimen peſſimum diabolicè attentauerit perpetrare, per annum carceri mancipetur, & bis in Hebdomada per idem temporis ieiunet in pane, & aqua. Qui aliquem extra Religionem accuſauerit, per mẽſem carceri mancipetur, & per triennium relegetur in Monaſterio. Qui imprimere fecerit libros, vel ſcripta, etiam ad artem muſicam ſpectantia, etſi minima fuerint, ſub proprio, vel efficto nomine, ſine licentia Prioris Generalis in ſcriptis habita, præter librorum amiſſionem, careat voce actiua, & paſſiua per triennium, & perpetuò facultate imprimendi cuiuſuis operis ſit priuatus. †Qui aliquem cum ſanguinis effuſione percuſſerit, aut vulnerauerit, carceri mãcipetur per mẽſem, & qualibet ſexta feria per idẽ tẽpus in pane, & aqua ieiunet, ſi verò clericũ, vel laicum Conuerſum percuſſerit per Prouincialem, ſiue per eius delegatum, ab excommunicatione (ſi id humilitèr petierit) abſoluatur, graui aliqua pœna per idem tempus arbitrio Prouincialis impoſita, ſubiturus etiam pro qualitate delicti alias pęnas grauiores. Qui aleis, vel taxillis ludere deprehenſus fuerit, præter pœnas alibi memoratas, à Conuentu exulet per biennium, ſi verò id acciderit extra Monaſterium, & cum Sęcularibus, pœna duplicetur cum priuatione Officij, etiamſi (quòd cenſetur à dignitate alienum) Prouincialis ſit. Qui Fratrem armis, vel fuſte inuadere auſus fuerit, is veniam petere cogatur, & accepta publica diſciplina, ab eo Conuentu exulet per triennium. Qui ſententiæ grauioris, & grauiſſimæ culpæ non obtemperauerit. Qui incorrigibilis fuerit in idem crimen recidens, vel ter delictum cum ſcandalo commiſiſſe deprehẽſus fuerit. Qui

arma prohibita apud se retinuisse inuentus fuerit. Qui aliquem grauitèr, & lætaliter vulnerauerit non prouocatus, hi omnes ad triremes per id temporis, quòd delicti grauitas postulauerit condemnentur. Qui Prouinciali insultare ausus fuerit, publicè veniam petat; & exulet à Prouincia per sexennium, vel etiamsi id magis Superioribus videbitur expedire; Fratres ipsi incorrigibiles ab Ordine nostro, quoadusque resipuerint, expellantur, seruata tamē forma in Dec. S. Cong. Conc. de mēte Sanctiss. D. N. Vrbani Papę VIII. die xxi. Septembris 1624. de Reg. Apostatis, & eiectis emanato. Infames vero cuiuscumq; generis à sola Sede Apostolica restitui possint, vel à Generali vnà cum Definitoribus Generalibus in Cap. Generali, & durante infamia possint nihilominus assumi (vt alibi dictū est) ad officia oneris, exceptis omnino ijs, propter quæ condemnati fuere. † Qui inobediēs fuerit Priori Conuentuali per dies 4. ieiunet semel in hebdomada per tres menses in pane, & aqua, & publicè veniam petat ab eodem, deinde exulet ab eo Conuentu per duos annos.

De grauissima culpa. Cap. XXXVI.

Atrociora † crimina, ita à Religiosis viris aliena censentur, vt nec pæna criminibus debitas ferè liceat inter eosdem nominare: sed quia humani generis hostis super sanctimoniæ triticum, vitiorum quandoque zizaniam superseminat. Idcirco si casus atrociores, vel facinorosi in hisce Constitutionibus non expressi contingant, Superiores in infligendis pæ-

nis

nis iuxta Sac. Canon. Constit. Apostolicarum, & Conciliorum decreta (personarum habita ratione, factiquè circumstantijs inspectis) procedant, & si quod delictum occurrat, pro quo in sęculo pæna capitalis delinquenti imponi solet, pæna triremium, vel perpetui carceris puniatur.† Qui crimen pessimum diabolo suadēte committit, is conuictus, aut confessus, ab omnium Ordinum exequutione perpetuò deponatur, & in Monasterio ad agēdam pænitentiam includatur. Grauissimè etiam peccat, qui homicidium voluntarium, siuè data opera, siuè alio modo committit, puniaturquè (vltra pænas canonicas) carcere perpetuò, nec cum eo dispensari possit, nisi à Sūmo Pontifice. Qui aliquem ita vulnerauerit, vt vulneratus membro aliquo mutilatus remaneat, Carcere, & ieiunijs puniri debet per tot annos, quot Generali (attenta læsionis grauitate) videbitur conuenire.† Et si quis clericus vulneratus, vel mutilatus fuerit, ille qui vulnerauerit, absoluatur à Priore Generali, vel ab eius delegato (si tamen reus id humilitèr petierit) salutari eidem pęnitentia imposita.† Qui ingreditur Monasterium Monialiū, præterquam in casibus a iure, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim Sanctiss. D. N. Gregorij XIII. ex necessaria, & vrgenti causa concessis, & de licentia Ordinarij, quoad Monasteria, quę nostrę Religioni non subsunt, vltra sententiam Excommunicationis, cuius absolutio soli Summo Pontifici est reseruata, ieiunet quarta feria, & Sabbato per duos annos, & quocumque officio per biennium careat. Qui sacrilego ausu Monialem violat, aut violare tentat, aut ex Monasterio extrahit, is vltra prædictam Excommunicationis sententiam, quam damnabiliter incurrit, perpetuò ab omnium suorum Or-

dinum officio est deponendus, & in aliquo Monasterio similitèr perpetuò detrudendus. Qui pecuniam Monasterij, aut sibi aliquo modo concessam mutuam dederit ad vsuram, sit priuatus ipso iure quacumque administratione per decennium. Qui falsificauerit litteras, aut sigillum Prioris Generalis, infamis, & inhabilis ad quodcũque Officium perpetuò existat, & carceri mancipetur per annum, à quibus pœnis absolui non possit, nisi ab ipso Generali. Qui inobediens fuerit Prouinciali per mensẽ, ei publicè veniam petere cogatur: deinde exulet ab eius Prouincia per quinquennium, & ipso iure per idem tempus sit priuatus voce actiua, & passiua: quas pœnas Generalis non possit remittere: sed remissio pertineat ad Capitulum Generale. † Si verò quis fuerit inobediens Prouinciali per minus tempus, quàm per mensem, leuius à Generali puniatur, habita temporis, & contumaciæ ratione; Et qui fuerit inobediens Generali per idem tempus, suprascripta pœna ab ipsomet Generali duplicetur, remissio autem pœnæ (eadem adhibita moderatione respectu temporis, vt dictum est) non peti possit, nisi in Capitulo Generali. Qui secreta Religionis reuelare præsumpserit, vltra sententiam excommunicationis ipso facto incurrendam, à qua solus Generalis absoluere possit, exulet perpetuò à Prouincia, suscepta prius disciplina, careat vtraque voce per quinquennium. Et si fuerit clericus insuper priuetur corona clericali per triennium. Si Conuersus, ei vltra exilium, & disciplinam, auferatur patientia, & scapulare per triennium. Si oblatus, aut Commissus, eijciatur à Religione, quas pœnas contra reuelantes Generalis tantum paulatim, ac elapso saltem anno possit remittere. Per secreta Religionis intelligun-

tur omnia, ob quorum reuelationem Religioni, Prouinciæ, aut Conuentui, aut particulari personæ graue damnum, vel detrimentum euenire possit.

De Iudicijs. Cap. XXXVII.

QVandiu in carne viuimus, contingit, vt quandoque secundum carnem viuamus, opera verò carnis cohiberi vix possunt, nisi adhibita pęna, tamquam medicina: quare necessaria esse cognoscitur iustitia punitiua. Prior igitur Conuentualis, ad quem pertinet excessus leuis, & grauis culpæ corrigere, nullo seruato iuris ordine, sed sola facti veritate inspecta extraiudicialitèr procedat ad correctionē sine vllo scripto: delinquentibusque pænam imponat iuxta decreta Cap. 33. & 34. Neque ab eo, quòd Prior pro dictorum excessuum emēdatione, siue punitione statuerit, quisquam resilire, aut appellare (etiam prætextu grauaminis) ad quemcumque valeat; sed omnino impositam pænitentiam, nulla adhibita excusatione, peragere teneatur. Nec tamen propter impositam pænam a Priore ob læuem, aut grauem culpam, quis vnquam intelligatur infamis, aut ad Officia ineptus; sed habeatur quasi, qui impositam penitentiam propter obedientiam peregerit. Quòd si contigerit Fratrem aliquem Priori inobedientem esse, nō statim illum, vt incorrigibilem habeat, sed mittat primùm ad eum aliquem ex Senioribus, qui illum pijs exortationibus ad obedientiam hortetur, expectetque eum Prior, si fortè redierit ad cor per dictum;

quòd

quod si cōtumax fuerit, & pro culpa noluerit satisfacere, die transacto illi pœna duplicetur. Si autem in cōtumacia per dies quatuor perseuerauerit, Prior eum, tanquam reum grauioris culpæ, Prouinciali denunciet, eumque, aut carceri includat, vsque ad mandatum Prouincialis, aut volentem ad Prouincialem accedere, cum suis litteris mittat. Excessus autem grauioris culpæ, aut grauissimæ Prior non corrigat; sed tanquam res magni mométi Prouinciali insinuet; interim tamen, (si res visa fuerit præsentaneum remedium postulare) de consilio Discretorum delinquentem carceri mancipando, aut in Monasterio relegando, prout necessitas, aut scandalum postulauerit. Prior igitur Prouincialis cum acciderit delictum grauioris culpæ, vel grauissimæ fuisse commissum, ad eius correctionem procedere debet summariè, idest seruatis solum substantialibus ad iudicium spectantibus; sed tamen in scriptis Processum conficiat. Et in ijs, quæ grauioris culpæ sunt, sententiam ferat, in ijs autem, quæ grauissimæ, procedat vsque ad sententiam definitiuam exclusiuè: Totumque processum, & causam per definitiuam sententiam terminandam deferat ad Generalem. Substantialia verò ad quodcumq; iudicium sunt; Vt contra aliquem non procedatur, nisi accusatum, denunciatum, aut infamatum: vt absens citetur, testes examinentur cum iuramento, inauditusque non condemnetur, nisi fuerit contumax. † Itaque non procedatur ad instantiam alicuius, nisi partes suscipiat accusatoris, vel denunciatoris, neque etiam super litteris clausis, & obsignatis fundari possit processus, vel iudicium, nisi scriptæ sint per modum querelæ, multo minus super litteris interceptis. † Verū quoniam

niam contingere poteſt, vt aliquid ad aures Iudicis perueniat, aut per accuſationem, vel per denunciationem: aut per inquiſitionem manifeſto exiſtēte delicto, & incerto perpetratore, vel per inquiſitionem, dum manifeſta infamia perſona laborat, clarè tamen non conſtante delicto. Si aliquid per accuſationem delatum fuerit coram Iudice, ille accuſatorem non admittat, ſi fuerit infamis, niſi fortè pro ſuo intereſſe ageret; ne qui trabem geſtat in oculo, feſtucā de oculo fratris eijcere ſatagat. Et ſi quis crimē alicuius in viſitatione ſcienter occultauerit, velitq; deinde eum accuſare, non audiatur. Sed id agere ob calumniam præſumātur, & veluti periurus puniatur. Neq; etiam ad accuſandum admittatur Nouitius, in ijs, quæ ad Nouitiatum nō pertinent. Neq; accuſati inimicus, de qua tamen inimicitia eius dicto non ſtetur, ſed Iudicis arbitrio, an aliquis cenſendus ſit inimicus, relinquatur. Neque admittatur accuſator, ſi tantum dicat ab alijs ſe audiuiſſe, & dicere non poſſit ita eſſe, vt affirmat. Neque, qui teſtes producere non poteſt, aut qui liuore vindictæ accuſauerit. Intelligatur autem liuore vindictę accuſare, qui de eo, quod nec Conuentui, nec accuſanti ipſi vllam irrogat iniuriam, accuſat. Atq; ad lites tollendas prohibeatur accuſato, antequā eius cauſa terminetur, accuſare accuſatorē ſuum. Et ſi contigerit accuſatorem aliquem ſemel deſeruiſſe accuſationē, atq; ab agendo cōtra reū ſpontè deſtitiſſe, prohibeatur iterum accuſare. Et ſi quiſquam ſocius criminis ſocium accuſauerit, quòd ſimul cum eo aliquod peccatum commiſerit, ille primum, tanquam reus culpæ, quam commiſiſſe ex ore ſuo confeſſus eſt, puniatur: inquiratur deinde an verum

ſit,

sit, quod ille idepofuerit contra alium. Cum autem accusatus quis fuerit, non ferali animo, aut leuitate quadam, Prælatus procebat ad carcerationem; sed meminerit tanto maiorem iniuriam carcerato innocenti inferre, quanto maiori ille fuerit insignitus honore, & fuerit grauioris delicti accusatus, ob crimen enim carceri mancipatus relaxatione vix reducitur ad famæ integritatem. Habeat igitur primùm à testibus informationem summariã, reum deinde (si fuga timetur) in carcere claudat, testium dicta in scriptis redigat, accusatum deinde interroget, & si confessus fuerit, puniat. Neganti autem (quamuis testibus conuicto) defensiones non neget. Verùm nisi se legitimè defenderit, vti conuictum puniat. Accusator autem, qui non probauerit, quod obiecerit, pœnam, quam accusatus luere deberet, ipse patiatur. Si verò per denunciationem delictum superiori delatum fuerit quoniam denunciator, non tanquam Iudici, sed tanquam Patri delictum refert, vt peccans emendetur, non subiacebit penæ talionis; sed tantum testes nominare debebit, per quos reus conuinci possit; quos Iudex summariè procedens examinet, & si denũciatum reum delicti esse repererit, paternè corrigat, ei tamen (quamuis per testes conuicto) defensionibus non denegatis. Denunciationem autem audire non debeat, nisi eius, qui fuerit boni nominis, & famæ. Si verò contigerit, excessum grauioris, vel grauissimæ culpæ fuisse cõmissum, cuius author ignoretur; Iudex non procedat nisi in primis summariè illi constiterit delictum commissum fuisse. Quòd cum certò sciuerit, omnes examinet à quibus veritatẽ cognosci posse, putauerit, & ab eis inquirat medio iuramento, vt

vnus-

vnusquisque dicat, quòd sciuerit pro veritate. Quòd si per duorum ex interrogatis depositiones claras conuictus quis fuerit, interrogetur, & confessus iuxta Constitutiones puniatur. Verum si negauerit, defensionibus illi assignatis, nisi se defenderit, & probauerit innocentem, veluti in conuictum sententia proferatur. Si autem publica fama referente ad aures Iudicis perueniat, quempiam reum esse criminis, inquirat primùm an infamia orta fuerit à maleuolis, vel suspectis, aut infamibus: quòd si ita repertum fuerit, infamatus absoluatur. Sed, & si quis Fratrem reum esse criminis dixerit, & interrogatus se audiuisse dicat, nescire tamen à quo, ille veluti infamiæ author puniatur. Quod & fiat, si mortuum, aut aliàs ita absentem, vt ab eo veritas inquiri non possit, tanquam authorem adduxerit. Si autem infamia ortum habuerit à personis fide dignis, inquiratur per examinationem eorum, quos oportuerit, an vera sint, quæ publica fama referente ad Iudicem delata sunt. Quòd si reus duorum testium assertione delictum commisisse depræhensus fuerit, aut id ex ore suo fuerit confessus, puniatur. Si autem contra accusatum, denunciatum, vel inquisitum fuerint tantùm inditia, Iudex eum non absoluat, nisi prius inditia purgauerit. Inditia verò sunt. Confessio extra Iudicium facta, propter quam nemo condemnari potest, sed tantum inditij loco habeatur, fuga: mala fama: conuersatio cum malis hominibus: iactatio de commisso delicto: minæ, quibus alicui timor incussus fuerit: pactum cum accusatore factum, vt ab accusatione desistat: dictum Socij criminis: variatio, & inconstantia, ac simul trepidatio: dictum testis vnius bonæ famæ. Propter inditia verò nemo condemnari potest, nec eis stan-

tibus absolui, sed debent purgari. Purgantur autem per inditia contraria, fuga quidem per spontaneam præsentationem, mala vita, aut fama, si quis ea olim laborauerit, purgatur., si probatum fuerit, reum per tres annos proximos fuisse bonæ famæ, & inculpatæ vitæ. Similiter conuersatio cum malis hominibus olim habita purgatur per sequentem (ad minus per annum) habitam bonā conuersationem. Dictum socij criminis purgatur, si reus sit bonæ famæ, præsertim autem si socius mala fama laboret. Confessio verò extra iudicium facta, minæ, & iactatio purgantur, si reus verisimilem causam, propter quam falsum dixerit, allegauerit. Quæ verò inditia per cōtraria inditia purgari non possunt, purgantur per torturam pro eruenda veritate adhibitam, quæ tamen non sit sæua, id enim dedecet Religiosos, cum maximè nimia seueritas extorqueat crudelitate mendacium; sed pro inditiorum purgatione, quorum aliqua sunt leuia, & remota, quædam grauia, & propinqua, adhibebitur pro tortura (iuxta prudentis Iudicis arbitrium) carcer, compedes, ferreæ manicæ, cibi, potusque subtractio, virgarū, aut disciplinæ percussio. Ad quem effectum in omni Cōuentu sit carcer non subterraneus, sed in salubri loco positus, vbi delinquentes rei custodiantur ad emendationem, non ad interritum. Et qui erga carceratos ita crudeles se ostenderint, & immanes, eis ita adimendo cibū, vt propterea vires amittant, aut in grauem morbum incidant, aut in discrimen vitæ inducantur, in futurum ab omni Magistratu abijciantur, tanquam indigni cuiuscūque regiminis. Et si mors propter hoc fuerit sequuta, se nouerint irregulares. Si autem contra accusatum, denūtiatum, vel inquisitum aliquid legitimè probatum non

fuerit,

fuerit, sed tantummodo ex deductis remaneat infamatus de delicto, indicatur ei purgatio Canonica ea manu sui Ordinis, quam Superior arbitratus fuerit, vt cum ea se purget de crimine, de quo est infamatus. Testes verò, per quos reus est conuincendus, non sint infames, nec conspiratores, aut loquentes de auditu alieno, vel in suo dicto varij, & inconstantes: aut singulares, vel criminis socij, aut Nouitij, præterquam in ijs, quæ ad Nouitiatum pertinent. Conspiratores dicuntur, qui ex pacto conuenerunt, vt ex ipsis vnus accuset, reliqui sint testes, quorum testimonium, & accusatio non solum non sunt admittenda, sed etiã Iudex eos grauitèr, velut impostores punire debet. Singulares testes dicuntur, quorum alter testimonium fert de vno actu, alter de alio eiusdem speciei, sed in diuersis temporibus factis. Infames sunt, qui vt Hæretici, vel de hęresi suspecti abiurauerunt. Furti conuicti. Periuri. Qui in causa criminali falsum testimoniũ dixerunt. Qui in apostasia permanserunt per annum. Blasphemi ex vsu condemnati. Malefici. Conuicti de pessimo crimine. Qui Moniales violauerunt, vel de Monasterio extraxerunt. Qui aliquando condemnati fuerunt tanquam falsi infamatores. Falsarij litterarum, aut sigilli Superiorum. Quoniam autem appellatio, quę in oppressorum remedium inuenta est, fit plerunque clipeus delinquentium. Sacri Concilij Tridentini vestigijs inhærendo statuimus, vt in causis visitationis, habilitatis, vel inhabilitatis, correctionis morum, & cæteris criminalibus nulla detur appellatio; † si verò intra decem dies post latam sententiam, & intimatam, appellatio interposita fuerit, admittatur. Quæ nihilominus appellatio causam quidem ad Superiorem deferat: verùm senten-

tiæ exequtionem non impediat, nisi in grauissimis pœnis, veluti est condemnatio ad triremes: tunc enim pendente appellatione legitimè interposita, exequutio sententiæ est suspendenda: † Et cum Prælatus non puniendi causa, sed in virtute salutaris obedientiæ aliquid imponit ab imposita obedientia, quouis prætextu nemini liceat appellare. † Ordo autem appellationis à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Definitores futuri Capituli Generalis, vel ad Eminentissimum Protectorem, si adsit, seu ad S. Sedem Apostolicam immediatè. Quod si quis ad alios quicunque illi sint appellauerit, excommun. latæ sent. incurrat, à qua absolui nõ possit, nisi à Summo Pontifice, prout in Constit. fel. recordationis Clem. PP. VIII. edita 15. die Febr. 1593. Pont. anno 3. Iuristæ sęculares, si non adsint periti in Religione adiri poterũt de licẽtia Iudicis, qui teneatur illam concedere præscribendo, vt primùm Iuristam Ecclesiasticum, deinde laicum, si Ecclesiasticum non inuenerit, adeat. † Ne autem absentia iudiciũ impediat, si reus præsens in iudicio non fuerit, & tribus edictis vocatus Iudicem adire neglexerit, aduersus eum, quasi in contumacem iudicari poterit. Nec appellatio locum habebit, contumacibus enim appellatio non est concessa. Et qui per litteras infamatorias sine nomine, Schedulas, libellos, aut inscriptiones in pariete, vel in quouis loco aliquem diffamauerit, per tres menses carcere puniatur, atque vtraque voce, & quocumque officio careat, donec fuerit cum eo dispensatum per Capitulum Generale. In imponendis autem pœnis meminerint Iudices, maiorem pœnam deberi accusato, quam denunciato, vel inquisito, maiorem etiam conuicto, quam confesso. Et pro delicto recenti, quàm anti-

antiquo, non tamen continuato. Sciant etiam in pœnas per Constitutiones præscriptas, quæ per verba præteriti temporis, aut per præsens subiunctiui exprimuntur, incurri ipso facto etiam ante Iudicis sententiam, veluti cũ dicitur voce careat, sit priuatus, aut cum additur ipso iure, vel ipso facto, vel eo ipso, & alia id genus, quæ appellantur Constitutiones latæ sententiæ. Verum antequàm quis pro tali habeatur, Iudicis sententia requiritur, per quam reum esse delicti declaretur. Cum verò exprimitur pœna per verbum futurum, vel imperatiui modi, veluti cum dicitur, Iudex condemnabit, pœnitentiam imponet, aut reus priuetur, vel suspendatur, & reliqua huiusmodi, quæ appellantur ferendæ sententiæ, nõ intelligitur quis præscriptam pœnam eo ipso incurrisse, nisi Iudex eam imposuerit. Nulloque modo Iudices Fratri delinquenti pœnam pecuniariam imponat, cum nihil proprij eis habere liceat: neque vllus ob quantũuis flagitiosissimũ crimen ab Ordine proijciatur, † nisi iuxta formã decreti Sac. Congr. EE. Cardd. Conc. Trid. interpretũ editi die 21. Septemb. 1624. de Apost. & eiectis. Dec. Sac. Cong. † Et vbi ob contumacem, & manifestam rebellionem (cũ scilicet iniunctam sibi pœnitẽtiam salutarem facere, vel implere recusauerit) in eum Superior animaduertere coactus fuerit, tunc perpetuò, vel ad tempus pro facinoris qualitate ad triremes condemnetur. † Cum autem contigerit Prouincialem aliquem Fratrem ab eo sententiarum, vel cui pœnitentia salutaris imposita sit, aliò trãsmittere, teneatur Prouincialis illius loci Priorem certiorem facere de sententia, & de pœnitentia. De excessibus autem grauioribus, aut grauissimis Processus per Superiores confecti, & sententiæ desuper latæ, nec non, &

acta visitationum non possint apud Fratres priuatos, licet olim aliquo munere functi fuerint, custodiri; sed in qualibet Prouincia deputetur in insigniori Cõuentu Archiuũ, seu locus tutus, in quo omnia præmissa reponãtur, cuius custodiæ aliquis Frater præficiatur insignis integritatis, & bonitatis in Capitulo Prouinciali deputãdus, qui teneatur, quandocumque opus fuerit, ex mandato Superiorum in scriptis facto, & non aliàs tradere copiã scripturarum suæ custodiæ traditarum, subscriptionique eius de cõcordantia cum originali integra fides habeatur; ipse verò iuret in manibus Generalis, se fideliter custoditurum, & acturum, quæ ad hoc officium spectant. Sint autem huius loci tres claues, quarum vna sit apud Priorem Conuentus; altera apud Procuratorem; tertia apud eundẽ scripturarũ custodem, seu Archiuistam. Prouinciales autem post cuiusque Capituli celebrationem Processuum in præcedenti anno formatorũ, & sententiarum latarum in dicto loco reponant, & Iudices, Commissarij à Generali, vel Prouinciali deputati cum primũ officio functi fuerint acta, & agitata coram ipsis similitèr reponere teneantur. Omnium autem scripturarum fiat in aliquo libro authẽticum inuentarium, in quo manu Prouincialis, vel Iudicis deponentis scripturę depositæ nominentur; teneaturque Custos illi petenti fidem de receptione in scriptis referre. Quod si custos aliquos processus lacerauerit, aut sustulerit, aut quomodolibet vitiauerit, vel exemplum sine mandato, vt supra tradiderit, perpetua infamia sit notatus, voceque actiua, & passiua semper careat, & sententiam excommunic. incurrat, reseruata absolutione Generali, vel eius delegato. Loca verò in quibus Archiuia huiusmodi erigi debent sunt infra-

frascripta, videlicet. In Prouincia Tusciæ Cōuen. D. Annun. de Florentia. In Prouincia Romana Conuentus S. Mariæ Nouæ de Perusio. In Prouincia Romandiolæ Cōuentus Seruorum de Bononia. In Prouincia Lombardiæ Conuentus Seruorum de Mediolano, aut Regij. In Prouincia Marchiæ Taruisinæ Conuentus Seruorum de Patauio. In Prouincia Veneta Conuentus Seruorum de Venetijs. In Prouincia Mantuana Conuentus S. Georgij de Bononia. In Prouincia Genuæ Conuentus Seruorum de Genua, aut Papiæ. In Prouincia Neapolitana Conuentus S. Mariæ de Partu Mergelinarum de Neap. In Prouincia Cataloniæ Conuentus S. Mariæ Boni successus Barcinonæ. In Prouincia Narbonensi Conuentus D. Annun. de Marsilia. In Prouincia Sardiniæ Conuentus S. Antonij de Saxari. In Prouincia Corsicæ Conuentus D. Annun. de Centurio. In Prouincia Germaniæ Conuentus S. Ioseph de Oeniponti. Præter hæc habeatur etiam Romæ in Conuentu S. Marcelli Generale Archiuium, in quo asseruentur omnia iura publica ad totam Religionem spectantia, prout supra in Capitulo 24. præscribitur, huiusque Archiuij Custos sit Procurator Ordinis in Romana Curia pro tempore existēs, cui per Inuētarium omnia in Archiuio cōtenta à prædecessore fideliter consignentur eodem Procuratore Generali dicto Inuentario se subscribēte. Quoniā verò interdum contingit, vt Religionis Fratres ab Officio Sāctissimæ Inquisitionis, siuè ab alio foro extra Religionem iudicentur, expensæ, quæ tunc fient, soluantur à Conuentu, cuius ille erat filius: in primis autem ex illis, quæ eius intuitu ad Conuentum peruenerunt.

De Apostatis. Cap. XXXVIII.

Apostatas dicimus, qui Ordinis, & Religionis susceptæ desertores existunt, quibus, & suæ sunt à sacris legibus iniunctæ pænæ; ne crimen ab eo detestabile impunitum remaneret. Vt igitur melius, quàm fieri possit, à nostris Fratribus omnis tollatur occasio Apostatandi, & vagandi; primùm statuimus; ut quicumque facta professione sua sponte ex Ordine, habitu Religionis dimisso discesserit, nisi spatio triũ dierum ad Obedientiam suorum Superiorum fuerit reuersus, & ab eis veniam petierit, statim sit excommunicatus. Attamen quamuis per plures dies, menses, aut annos in Apostasia excommunicatus permanserit; si postea reuersus fuerit, recipiatur omninò, receptus autem ieiunet per annum bis in hebdomada in pane, & aqua, singulisque hebdomadibus paritèr per annum disciplina publica plectatur, careatque voce actiua, & passiua, teneatque locum cum Nouitijs in Mensa, & Choro, & sit inhabilis ad quæcumq; officia per decennium. Et si Sacerdos fuerit, non admittatur ad audiendas Confessiones. Et si aliquo gradu fuerit insignitus, nomine, & priuilegijs eius nunquam gaudeat. Et ab his pænis absolui non possit, nisi per duo Capitula Generalia. Si quis autem per plures annos in Apostasia permanserit, infamemque duxerit vitam, recipiatur ad carceres pro criminis qualitate. Quòd si impositam pænitentiam remitti fauore sæcularium, cuiuscumque dignitatis existant, procurauerit, in pænam duplicationis eiusdem pænitentiæ eo ipso incidat.

dat. † Si quis fugerit (habitu tamen retento) à Priore, nec se Prouinciali termino decem dierum, vel à Prouinciali, nec se Generali termino 15, vel à Generali, nec se coram S. Sede, vel Eminentissimo Protectori termino vnius mensis præsentauerit, pœnam excommunicationis non incurrat, nisi animum apostatandi à Religione habuerit, sed tamen cæteris Apostasiæ pœnis eo ipso subiaceat. Si quis autem leuitate ductus absque animo apostatandi (habitu retento) ab obedientia Superiorum se subtraxerit; nec se Prouinciali præsentauerit termino 15. dierum, vel Generali vnius mensis termino, licet excommunicationem non incurrat, pœnis tamen Apostasiæ subiaceat. Si verò prætextu grauaminis, etiam retento habitu fugerit, nec se in dicto termino, nimirùm dierum 15. Prouinciali, & mensis vnius Generali, vel Protectori præsentauerit, omninò pro Apostata habeatur, ac si habitum dimisisset. Ità autem sic præscribitur, ne Fratres ansam vagandi accipiant, cum possint grauamen suum maioribus Superioribus per litteras significare. Quòd si periculum sit, vel carceris, vel alterius grauaminis, quod reparari nõ possit, nisi personalitèr ad Superiores huiusmodi recurrat; nullaque subsit grauaminis causa, tunc petita, licet non obtenta à Priore licentia possit in termino decem dierũ Prouincialem adire. Dispensatio fiat in Capitulo Generali per solos Definitores Generales, non per totum Capitulum. † Apostata autem non recipiatur, nisi à Generali, Prouinciali, & Socio † si fuerint præsentes † vita, quam extra Religionem duxit, & causa, propter quam ab ea exierit, diligentèr inuestigata. † Si verò Apostata se præsentauerit Prouinciali tantùm, Generali longe existente, vel è contrà; tũc

recipiatur ad carcerem, & Superior, cui se præsentauerit, alterum cum Socio certiores faciat, vt tres simul, vel personaliter, vel per literas, quid sit agendum deliberent, recipiatur autem in quacumque Prouincia. † Receptionis autem modus erit iste; congregatis Fratribus, & Oratione cum Psalmo Miserere mei Deus, peracta, interrogetur à Priore Generali, an velit ad gremium Religionis redire, & ad obseruantiam eius Regulæ, & Constitutionum; qui si asseruerit promittendo, quòd in futurum obediens erit Superioribus, absoluatur ab excommunicatione, & Apostasia, & abjs censuris, atque ei iam descripta pœnitentia, vltra aliam salutarem peragendā, imponatur. Qui etiam extra claustra Religionis commoratus fuerit habitu retento, & licentia habita à Superiore, si voluerit redire, absque iniunctione alicuius pœnæ recipiatur; sed non à quocumque: verùm à solo Prouinciali illius Prouinciæ, cuius est filius, qui illi locum assignabit. Redeuntemque, si dum extra mansit, excessum aliquem cōmiserit; iuxta regularem disciplinam, ac si in Religione deliquisset, puniatur. Receptus autem careat omni officio per triennium, si autem constet, eum honestam, regularemque duxisse vitam, vt Religiosus decet, poterit cum eo ad officia dispensari à Priore Generali, vel Prouinciali, præterquā ad Generalatus, Prouincialatus, † Definitoratus Generalis, Procuratoris Ordinis, & Sotiatus dignitatem, quæ in reseruantur id, quod supe ius statutum est in cap. 21. 27. & 28. etiamsi is remaneret de licentia Superioris Decior, aut alias ad obsequium Monasterij alterius Religionis, Prælati, aut cuiuscumque Principis. Vt autem omnis tollatur occasio vagandi, nulli detur licentia deponendi, aut occultè

deferendi habitũ Religionis quouis prætextu, aut quæsito colore) licentiam autem manendi extra claustra habitu professionis retento, etsi quàm fieri possit, omninò negare debeant Superiores; si tamen cogat necessitas, concedere eã possint, pro seruitio alicuius Prælati, Principis, aut Religionis. Solusque Generalis huiusmodi licentiam ob rationabilem causam in litteris exprimendam dare possit. Is verò, qui exierit extra claustra licentia obtenta, pro vestimentis omnino vtatur Tunica, Patientia, siuè Habitu, Scapulari, & Corrigia secundum eã formam, qua vtuntur omnes intra claustra manentes, & Cappa, aut saltem Mantello, vsque ad talos longo. Nouerint autem, qui extra claustra manent cum Generalis licentia, se ex Decreto Sacri Generalis Concilij Tridentini Ordinariorum curæ, & correctione esse subiectos. Verum si Superiores Religionis eos ad claustra reuocauerint, omninò obedire teneantur. Quòd si à Superiore reuocentur, & illi post 15. dies redire noluerint, pro Apostatis omnino habeantur, & Apostatarum pœnis nulla postea excusatione admissa subiaceant.

Ex Concil. Trid. Sess. 25. c. 20. de Reg & Mon.

De Ordine seruando. Cap. XXXIX.

Cuiuslibet multitudinis recta institutio hoc potissimũ requirit, vt omnes ordinatè iuxta cuiusq; qualitatem disponantur. Quòd in Religione eò maximè opus esse conspicitur, quòd pręcipuè in ea tollẽda sunt scandala, quæ propterea suboriri possent. Idcircò in Capitulo Generali Primus sit Prior Generalis, deinde Procurator Ordinis in Romana Curia, post quos locũ te-

neãt Definitores, deinde Prouinciales, postque eos Magistri Generalatus Officio perfuncti; postremo Socij residentes secundum dignitatem Prouinciarum, quarum hic est ordo. Tusciæ, Romanæ, Romandiolæ, Lombardiæ, Marchiæ Taruisinæ, Venetæ, Mantuanæ, Ianuensis, Neapolitanæ, Narbonensis, Corsicæ, & Sardiniæ. In Capitulo verò Prouinciali primus assideat Generalis, siuè eius Vicarius, † deinde Procurator Generalis si interfuerit iuxta Decretum appositum in Cap. 41. de Capitulo Prouinciali, † deinde Prouincialis, Socius, Definitores, Magistri, Priores, cæteriq; deinde secundum gradus suos. Et si Prouincialis in altera Prouincia fuerit, ille semper teneat locum post Prouincialem Prouinciæ; & si fuerint duo, præcedat alter alterum, secundum ordinem Prouinciarum. Socius inter visitandum semper locum teneat post Prouincialem, siuè præsente, siuè absente Generali: extra verò visitationis tempus locum habeat aliàs sibi competentem. † Cum per multæ ortę fuerint contentiones circa præcedentias; Patres hunc ordinem seruandum esse pro declaratione Constit. sanxērũt. Magistrorum locus sit post Priorem Conuentus, & inuicem se se præcedant secundũ tempus suæ promotionis, qui autem simul promoti fuerint, se pręcedant sicut ante promotionem: Baccalaureus Conuentus immediatè sequatur Magistros, Reliqui Baccaulaurei non præcedant 30. annis Maiores, & inter se seruent ordinem promotionis. Qui verò simul promoti fuerint, quemadmodum ante promotionem, ità & post eam se præcedant, hoc est iuxta tempus promotionis ad Ordinem Presbyteratus. Sacerdotes autem inter se ordinem seruent secundum tempus suscępti Sacerdotij: Diaconi Diaconatus: Sub-

dia-


diaconi Subdiaconatus. Et qui simul promoti fuerint ad prædictos tres ordines Maiores, se præcedant secundum tempus emissę professionis: similitèr penes idem tempus emissę professionis reliqui se præcedant; Ita tamen vt futuri Clerici, & Clericalem deferentes coronam, postquã professionem emiserint Conuersos præcedant. Quandò Priores duorum Conuentuum in eadem Ciuitate simul ierint in Processionibus, teneant locum vltimum, & digniorem post alios, præcedente inter eos Priore Conuẽtus principalioris, iuxta Decretũ Cap. Generalis 1625. ac Priores omnes extra proprium Conuentum teneant semper locum suæ professionis, aut gradus, quem obtinẽt, nimirũ Baccalaurei Baccalaureatus, aut Magisterij.

De Capitulo Conuentuali. Cap. XXXX.

CApitulum Conuentuale cõgregetur à Generali, vel Prouinciali in Visitationibus, & quotiescũque illis visum fuerit pro emendatione morum, & excessibus corrigendis. Congregetur autem à Priore Cõuentuali pro electione officialium Domus, pro negotijs publicis Conuentus, & pro correctione morum, quoties illi visum fuerit. † Quando verò congregatur Capitulum Conuentuale ad aliquod deliberandum, perlegatur caput rei peragendæ. † Et qualibet sexta feria (nisi iusta causa impediente) semper congregetur: atque in eo Fratres suas culpas dicant, illisque pænitentiæ salutares iniungantur, ac si quæ corrigẽda fuerint, corrigantur. Deinde Prior hortetur Fratres ad vitæ profectum, ad pacem seruãdam, & ad disciplinam Regularem. Commen-

mendet post hæc illorum orationibus statũ Sanctæ Matris Ecclesiæ, Summum Pontificem; Eminentiss. ac Reuerendiss. Ordinis nostri Protectorem, Priorem Generalem, † Procuratorem Ordinis, † atque Prouincialem; & omnes totius orbis Principes, & animas Fratrum Defunctorum; Religionisque Benefactores viuos, ac mortuos. Dũ autem congregatur pro negotijs publicis Conuentus, aut pro electione officialium, vocem non habeant, nisi qui in eo Conuentualitèr ex obedientia Prouincialis manserit, sintquè in Sacris Ordinibus constituti, & alias ad ferẽda suffragia non inhabiles; exclusis omninò priuatis voce actiua, manentibus extra claustra, etiã cum licentia Professis ante adeptum Subdiaconatus Ordinẽ, Conuersis, atque Nouitijs. Antequàm autem ad electionem Officialiũ procedatur dicatur Hymnus, Veni creator Spiritus, & Oratio de Spiritu Sancto. Deinde proponatur vocalibus quid sit agendum in Capitulo; moneanturq; vt Deum præ oculis habentes, eligant viros idoneos ad Domus officia obeunda. Post hæc Superior, deinde reliqui secundum gradus suos, si voluerint aliquem proponere eligendum ad Officium, accedentes ad Superiorem nominẽt. Procedatur postea ad electionem per secreta suffragia, & qui plura vota supra medietatem habuerit, ille electus intelligatur, ac publicetur, quot votorum fauore electus fuerit. Atque à Superiore signo Crucis adhibito confirmentur. † (Quòd si nullus remaneat electus ad aliquod officium, Prior prouideat vsque ad Visitationem, quo tempore denuò præsentibus Visitatoribus aliquis de more proponatur, & si nullus electus remaneat, Prouincialis prouideat.) Cum verò inter Patres Discretos aliquid tractandum occurrerit, illi

teneantur ad nutum Prioris interesse, si tūc fuerint prę- sentes in eodem Cōuentu, nec aliquo graui negotio per Priorem probando fuerint impediti, alias si neglexerint, remoueantur à Prouinciali de numero discretorum Patrum. Vt autem omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa,* vel ab indebita vocum, seu suffragiorum procuratione, tàm pro se ipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris, præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi: quicumque secus fecerint, præter alias pænas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pænam priuationis officiorum, quæ obtinent eo ipso incidant, & ad futura quæcumquè paritèr inhabiles habeantur, super quo cum eis à nemine dispensari possit, nisi à Romano Pontifice, & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur, quæ etiam pænæ ad compl ces, & simplicitèr scientes, & non reuelantes extendantur, *prohibitusque remaneat omnis fauor laicorum ad quemcumque effectum, iuxta Decretum fel. rec. Clementis Octaui.* Hoc autem locum habeat in Capitulo quoque Prouinciali. † Quamuis autē in Capitulo Cōuentuali omnes Officiales Domus eligantur; qui tamen bona administrant; vt Syndicus, Depositarius, & Procurator sint ex Decreto Sacri Concilij Trid. amouibiles ad nutum Generalis, siuè Prouincialis.



De Capitulo Prouinciali. Cap. XXXXI.

CApitulum cuiuslibet Prouinciæ fiat singulis quibusque annis in illa, & loco per Prouincialem statuendo, & tempore per Generalem perscribendo, dum tamen omnium Prouinciarum Capitula intra duos menses post Pascha celebrentur, & per tres menses antè vocalibus intimentur; infra quòd temporis spatium absoluantur causæ, sin minus potuerint absolui, vocalis, contra quem fuerit cæpta causa, & non absoluta, non exeat de loco capituli, sed vocem cum cæteris habeat, dummodo primùm constiterit Generali, vel eius Vicario ratio causæ non terminatæ, & ab ipso, tamquam legitimè probata fuerit. ¶In Capitulo autem Prouinciali vocem habeant, Generalis, Prouincialis, Socius, Magistri, & Priores. Conuentuum principalium, non vnitorum, cum suis Discretis, & Baccalaurei, qui tamen intra claustra Religionis mãserint. Exclusis omninò Magistris, & Baccalaureis extrà Claustra (etiam cum Superiorum licentia) manentibus. † Verum Procurator Ordinis, & Regentes vocem habeant, vel in propria Prouincia, vel in ea, in qua degunt. † Et ne expensis superfluis Prouincia aggrauetur, præter hos nullus ad Capitulum accedat non vocalis, nisi causa cognita, & in scriptis probata, atque expressa à Prouinciali. Qui autem contra huiusmodi præceptum facere præsumpserit, statim à Capitulo expellatur, & inhabilis fit ad officia obtinenda in illo. Nullus etiam vocalium, præter Priorem Generalem, Prouincialem, & Socium accedere possit ad locum Capituli

pituli, nisi pridie ante statutum diem, præterquàm causa expressa, & probata in scriptis per Prouincialem. Aliter verò accedentes voce in Capitulo ipso iure careant. Capitulo intersit omnino Generalis, aut per se ipsum, aut per Vicarium ab eo, ad hoc munus deputandum per litteras ad Capitulum directas. Die autem Capituli aduenienite, in aurora dicatur Missa de Spiritu Sancto, cui intersint omnes vocales; qua completa, habeatur à Generali sermo de Reformatione, cum admonitione ad correctionem morũ Prouinciæ, & Conuentuum, & ad augumentum Diuini cultus, atque ad eligendum Officiales, qui ad Prouinciæ, & Conuentuum administrationẽ sint apti. Legantur litteræ Capituli, quibus perlectis coram Imagine Beatissimæ semper Virginis Mariæ genuflexi omnes sine cantu deuotè dicant. Salue Regina. Cum Versic. & Oratione eiusdem Beatæ Virginis. Deinde recenseantur à Prioribus nomina Fratrum illo anno defunctorum, & fiat communis absolutio cum psalmo. De profundis. Vers. & Oratione Absolue. Recenseantur pariter à Prioribus singulorum Conuentuum benefactorum viuentium nomina, fiatq; pro eis communis Oratio cum Psalmo. Deus misereatur nostri. Versic. Saluos fac seruos tuos. & Oratione. Prætende Domine fidelibus tuis. Deinde fiat diligens scrutinium vocalium, de quorum habilitate, vel inhabilitate, si orta fuerit controuersia, Generalis cum Prouinciali, & Socio summariè determinent, & qui non fuerint iure vocales, exeant de loco Capituli. Quibus peractis eligantur quattuor Definitores, quorum duo tantum sint Magistri, reliqui duo Magisterij gradum non habeant. Omnesque sint ætate, modestia, & prudentia insignes, quique in præ-

 cc-

cedenti Capitulo eodē munere functi non sint. † Quòd autem Definitores Magistri non eligantur, si in praecedenti Capitulo eodem munere functi fuerint, intelligitur, si alij Magistri, qui possint esse Definitores in Capitulo reperiantur, & deficientibus Magistris in ea Prouincia, etiam Baccalaurei eligi poterunt loco Magistrorum. † Eligantur autem hoc modo. Generalis primùm, deinde reliqui secundum gradus suos, qui aliquem ad huiusmodi munus nominare voluerint, ad Generalem accedentes, proponant, quos libuerit. Eorumque nominibus in scripturam redactis ad electionem per secreta suffragia procedatur, & qui plura vota supra medietatē habuerint, electi sint, & publicentur addito numero votorum, quorum fauore electi fuerint. Atque à Generali signo Crucis adhibito confirmentur. His electis, Prior Prouincialis sigillo, & libro Cōstitutionum in manibus Generalis deposito humilitèr veniam postulet de negligentijs, & culpis in Officio admissis. Et deinde exeat de loco Capituli. Et Priores omnes renuncient liberè suis Officijs. Quibus peractis Prior Generalis dicat, vt si quis velit excipere contra Prouincialem, excipiat. Idque intelligitur de criminibus manifestis depositione dignis, & si talium delictorum conuictus fuerit, alius eligatur iuxta formam inferiùs assignandam, cuius Officium duret vsque ad Capitulum illud Prouinciale, quod antecedet proximum Capitulum Generale. Si autē nullus excipiat, aut friuolae sint accusationes, siue exceptiones, confirmetur à Generali, adhibito signo Crucis. Posthaec Prouincialis, Socius, & Definitores iurent in manibus Generalis † iuxta hanc formam videlicet. Ego N. iuro me acturum secundum Deum, & Conscientiam in-

judi-

iudicandis causis, & in officialibus eligendis, & in alijs, quæ cognouero ad animarum salutem, & profectum Prouinciæ pertinere, omni humano affectu postposito. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.†

Deinde in aliquo loco congregati præsente Generali (si illi placuerit) semotis animi affectionibus inquirant à Discretis medio iuramento, an decreta prioris Capituli, & visitationis exequutioni mādata fuerint, de cultu Diuino, obseruantia Regulari, & de bonorum temporalium administratione: Interim dū alij Fratres ad Missas celebrandas eunt, vbi, & Missam pro defunctis Fratribus, & benefactoribus decantent, Prouincialis, Socius, & Diffinitores accipiant à Prioribus in scriptis rationes accepti, & expensi præcedentis anni in quocumque Monasterio, quas Priores, qui non detulerint, inhabiles sint ad Officia illo anno. Quæ omnia vt commodius fieri possint, eo die nullus quauis causa, aut quæsito colore Domo exeat. Deinde audiant causas, si quæ inter aliquos vertantur. Postea procedant ad examen promouendorum ad Bacalaureatus gradum, iuxta formam superiùs assignatam in Cap. 14. Postremò Prouincialis, Socius, & Diffinitores soli simul congregati, consideratis ijs, quæ à Discretis, & alijs audierūt, si quæ viderint in Prouincia aut aliquo Conuentu reformatione indigere, corrigant, & in melius reforment. Et causis, quas audierunt, per difinitiuam sententiā finem imponant. Et necessitatibus Conuentuum consideratis per secreta suffragia eligantur ab eisdem Priores, Lectores, Casuum conscientiæ, Magistri Nouitiorum,† & Iuuenum Professorum, necnon Confessarij Monialium, & Curatores animarum, & insuper tres saltem examinatores experitioribus, qui admittēdos ad

prædicationem Verbi Dei, vel ad audiendas Confessiones, etiam ipsorum Fratrum, ac Lectóres publicos diligentèr simul examinēt, priusquàm probētur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam sit examinare, & probare tam quoad Doctrinam, quàm quoad mores promouendos ad quoscumque Ordines. Priores autem pro secundo anno deputandos confirmabunt scilicet secretis suffragijs, nisi casus aliquis emerserit, propter quem secundum Ordinis instituta eorum aliquem oporteat absolui. † Nec liceat reseruare electionem Prioris alicuius, aut Magistri Nouitiorum in pectore Prouincialis, nisi de consensu Definitorum. † Non poterit autem quisquam prorogari vltra biennium in Conuentibus Collegiatis; † Priores verò in Conuentibus nō Collegiatis tunc prorogari possint, si constiterit Patribus Definitoribus de insigni beneficio ab ipsis recognoscēdo, & approbando; † Nec vllo modo fieri possit ad vitam alicuius Prioris designatio. Si quis autē Prior Officium pro secundò annó recusauerit, non possit esse Prior in alio Conuentu, nisi post triennium. Integrum tamen sit Generali ius suum designandi Priores in Conuentu S. Marcelli de Vrbe, & in Conuentu Beatæ Mariæ Virginis Mergellinæ de Neapoli tantùm, qui tamen Priores non possint esse nisi biennales, sicut & Priores omnes aliorum Conuentuum Ordinis. Electio verò reliquorum Officialium in eisdem duobus Conuentibus deputandorū ad ipsorummet Conuentuum Capitula liberè spectet; In cæteris autem prædicti duo Conuentus Prioribus, Prouincialibus subiecti existant, & illorum visitationi, & correctioni subiaceant, sicuti alij omnes Conuentus Prouinciarum earundem. Seruetur item ius suum Capitulis Monasteriorum crean-

di Priores in locis sibi vnitis, qui tamen in Capitulo Prouinciali vocem non habeant. Ipsi autem Definitores non possint in Capitulo Prouinciali, vbi Definitorum munus exercent, eligi in Priores. † Officiales; qui electi fuerint absentes, fidei professionē faciant quamprimùm in manibus Prouincialis, vel alterius ad hoc deputati antequā officio fungantur. † Omnibus autem, quæ ad Capitulum pertinent, in Definitorio peractis Prouincialis redigat in scriptis sententias latas, decreta de Reformatione facta, & Officialium electionem. Et omnibus clausis, ac sigillo Prouinciæ obsignatis, omnia referat ad Generalem: qui cuncta considerabit, & (prout ei videbitur) poterit electos confirmare, vel non confirmare, seu amouere, non tamen eorum loco alios subrogare, sed id ab eisdem electoribus fiet. (Pro confirmationibus autem, sigillo, vel scriptura, aut quacumque alia causa pecuniæ non soluantur, nec in Officialium electione, aut confirmatione, pactiones, seu promissiones vllæ intercedant.) Electione autem Officialium, & sententijs à Generali confirmatis, omnia legantur, & publicentur. Posthæc cantetur Hymnus. Te Deum laudamus: Et ad Ecclesiam proceditur. Deinde Prior Prouincialis, & Priores omnes Cōuentuales faciant Professionem fidei Orthodoxæ, qua finita, fiat Confessio, & absolutio communis, & iniungatur singulis, vt quamprimùm ad domos suas peruenerint, dicant tres Missas; vnam de Spiritu Sancto cum Oratione: *Deus omnium fideliū Pastor, & Rector*. Pro felici statu, & conseruatione Sanctiss. Domini Nostri Papæ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; Aliam de Beata Virgine pro augumento Religionis; tertiam pro Defunctis, quòd si legitimè impediti fuerint, pro Missis dicant ter psalmos gra-

dua-

duales.† Nullus tamē Priorum discedat, nisi prius habeat in scriptis nomina fratrum, qui in suo Conuentu illo anno fuerint assignati, manu Prouincialis subscripta. In Capitulo autem Prouinciali, quod immediatè præcedit Capitulum Generale, electis Definitoribus, quemadmodum supra dictum est, Prouincialis, & Socius renuncient suis officijs postulata venia. Procedaturque ad electionem noui Prouincialis, & Socij eodem modo, quo Definitores eliguntur, Prouincialisque, & Socius electi confirmentur à Priore Generali facto signo Crucis. Eodem etiam modo eligatur Definitor Generalis Magister in Theologia, qui non fuerit de Hæresi suspectus, nec eundem magistratum obierit in præcedenti Capitulo; † vt scilicet reuera vocem habuerit, & suffragium tulerit in dicto Capitulo Generali; † sitque illius Prouinciæ filius, aut in ea manserit proximè transacto quadriennio; & à Generali confirmetur. Eligantur etiam eodem modo quot quot placuerint Magistri præsentandi ad Generalatus Officium, & alij Procuratoris pariter præsentandi ad Officium Ordinis in Romana Curia. Postea congregentur Prouincialis, Socius, & Definitores ad ea facienda, quæ supra statuta sunt. Qui verò ad Capitulum Prouinciale pro Discreto vocali mittendus est, debet & nomine, & re ipsa esse Discretus; propterea pro Discreto nullus eligatur, nisi sit Sacerdos, & mãserit in Religione saltem per decennium; atque in illo Conuentu, cuius futurus est Discretus, resederit personaliter illo anno ad minus per sex menses continuos, & qui alias non sit inhabilis ad reddendum testimonium veritati: neque fuerit Syndicus, aut Procurator eodem ipso anno.† Ex illo Conuentu, vbi fuerint ad minus duodecim Professi vocales, eligi possit

Discreti duo expensis publicis illius Conuentus mittendi. Vbi verò non fuerint duodecim, sed supra quattuor, itaut quattuor sint vocales, vnus tantùm Discretus mitti possit. Vbi autem quattuor tantum solus Prior ad Capitulum accedat, ne domus fratribus destituta remaneat. Electio Discretorum fiat intra octo dies ante Capitulum immediatè, vel intra sexdecim dies in Prouincijs, quę magis patent, quo tempore nulla fiat Fratrum mutatio per Prouincialem; Superiores verò non possint aliquem Fratrem prope Capitulum voce priuare, nisi causa terminata per sententiam definitiuam ante tres menses Capitulum Prouinciale pręcedentes, dummodò intra illud tempus nouus casus non emerserit, cui huiusmodi priuatio de iure debeatur. In Capitulo Prouinciali de triennio in triennium semper eligatur Definitor Generalis, etiamsi non debeat celebrari Capitulum Generale, nisi de sexennio in sexennium, iuxta Constit. fæl. record. Pauli PP. V. & confirmat. Sanctiss. Dom. Noster PP. Vrbanus VIII. vt dicitur infra. Locus Capituli eligatur à Prouinciali Vicarij. Priores vocem non habeant in Capitulo Prouinciali, nisi instituti fuerint à principio ob vacationem quacumque de causa iam electi, adepta, vel non adepta Prioratus possessione, & id intra mensem à die dictæ electionis. Priores omnes Conuentuum Prouincię si soli alicubi maneant, non accedant ad Capitulum, nisi prius aliquem Sacerdotem ibidem celebraturum constituerint, ne Ecclesia sacrificio destituatur. Si secus fecisse constiterit, ne dum vocem non habeat iu Capitulo, sed per biennium vtraque voce careat, & officio, quod obtinet. Definitores Prouinciales fungi possint extra Capitulum officio suo, quando necessitas postulauerit vsque ad

annum sequentem, non tamen extra ipsum Capitulum, teneant locum præcedentiæ. Si Capitulum Prouinciale occurrat in die festo, Missa pro Defunctis differatur in sequentem diem non impeditam, iuxta Decretum Capituli Generalis 1625. Electio Prioris Prouincialis, Socij, & Definitoris Generalis fiat ad triennium. Prouincialis in visitatione Conuentus S. Marcelli de Vrbe, & S. Mariæ Mergellinæ in Neapoli nihil circa Priores statutum, in consulto Generali, a quo deliberationem expectet, decernere audeat. Non possit eligi pro Discreto nedum Syndicus, sed neque Procurator. Electio autem Discretorum intimetur per tres dies ante ipsam, pro qua habenda Prior teneatur semper statuto tempore Capitulum Conuentus congregare, illique Discretorum eligendorum proponere.

De Capitulo Generali. Cap. XXXII.

CApitulum Generale celebretur † de sexennio in sexennium ex Const. fel. rec. Pauli PP. V. data die 16. Mensis Maij 1619. Pontificatus sui anno 14. & Vrbani VIII. die 19. Decembris 1633. † loco, & tempore per Priorem Generalem statutis. Intimeturque per litteras patentes ab eodem Generali, † ad omnes Prouincias transmissas † per decem menses ante, † nisi aliter necessitas postulauerit. † Neque in loco Capituli Generalis, vllum Capitulum Prouinciale cum eo celebrari possit, † nisi aliud similiter necessitas postulauerit. ¶ In Capitulo autem Generali vocem habeant Generalis, Procurator Ordinis in Romana Curia, Definitores Ge-

nerales, Priores Prouinciales nouem Prouinciarum; Magistri Generalatus officio perfuncti, & Socij ex singulis nouem Prouincijs Ordinis, videlicet, Tusciæ, Romana, Romandiolæ, Lombardiæ, Marchiæ Taruisinæ, Veneta, Mantuana, Ianuensis, & Neapolitana. Et quoniã Prouinciæ tres, scilicet Narbonensis, Corsicæ, & Sardiniæ, † simul Tyroli, & Bohemiæ ita simul (Hispaniæ namque Prouincia inter maiores, reseruata tamen præcedentia Prouinciæ Narbonensis) connumerata est ob paucitatem Conuentuũ, & longinquitatem itineris nimium defatigarentur, si singulæ tres Fratres mitterent, satis erit, si vnaquæq; earum † publicis expensis † mittat vnum nomine suo vocalem, † qui est Prouincialis, vel Socius, aut alius cum mandato in forma authentica ipsius Prouinciæ, nec alius recipiatur, neque habeatur pro vocali. Ad euitandam autem contentionum occasionem, in vno Capitulo Generali vocem habeat vocalis Corsicæ, in altero autem Sardiniæ vocalis, quem ordinem seruent quoque Tyrolus, & Bohemia. Vocales passiui liberè ad Capitulum Generale accedere possint, cõsulto prius Generali, qui tamen licentiam denegare non possit. † Præter hos autem nullus habeat vocẽ in Capitulo Generali: Et si quis ex his venire neglexerit, aut non potuerit, non possit vices suas alteri committere; sed eius absẽtia non obstante, ab his, qui interfuerint, Capitulum celebretur. Et si factæ fuerint Electiones cum supplemento absentium, irritæ sint, & nullius roboris, vel momenti. Adueniente autem die Capituli, in Aurora cantetur solemnitèr Missa de Spiritu Sancto cum Oratione de Sanctis. Dei Genitrice Maria semper Virgine, B. August. & Philippo, cui inter sint omnes vocales. Qua absoluta,

congregentur in Capitulo,& ſedeant ſecundum gradus. Et Prior Generalis ſine verborum apparatu,legi iubeat litteras indictionis Capituli; Quibus perlectis coram Imagine eiuſdem B. Virginis genuflexi ſine cantu dicant. Salue Regina. cum Verſ. & Orat. Omnipotens ſempiterne Deus. Recenſeatur deinde numerus omniũ Fratrum Mortuorum illo triennio in qualibet Prouincia per Prouincialem eiuſdem, & fiat pro eis abſolutio cum Pſal. De profundis. Verſu, & Oratione. Abſolue. Fiat deinde Oratio pro benefactoribus cum pſal. Deus miſereatur noſtri. Verſ.Saluos fac ſeruos tuos. Reſp. Deus meus ſperantes in te, & Orat. Prætende Domine. Fiat deinde ſcrutinium vocalium diligens, & qui non fuerint legitimè vocales,exeant de loco Capituli. Deinde Procurator Ordinis coram Generali genuflexus renunciet ſuo Officio; poſt quam Prior Generalis, de ſupremo loco recedat, & coram Definitoribus genuflexus, quibus voluerit, verbis Officio renunciet, & liberè ab eo ſe eximat, humilitèr veniam deprecans pro negligentijs, & culpis in Generalatus Officio admiſſis, ſigillumq;, librũ Conſtitutionum,† & officium deponat in manibus primi Definitoris, hoc eſt, eius, qui ſecundum ordinem Prouinciarum ſucceſſiuè locũ obtinet, etiam ſi ille, qui primus vocatur, abſfuerit.† Deinde procedatur ad electionem noui Generalis, itaut ille, qui renunciauit, non poſſit iterum aſſumi, niſi poſt ſexennij vacationem. In electione autem hic ſeruetur modus. Primus Definitor admoneat Patres Capituli, ne quem ſimoniacè eligant, aut ob amorem, timorem, vel alium humanum affectum: ſed iuxta Deum, & conſcientiam illum pro Generali eligant,qui verè omnium Pater futurus ſit,

qui-

quique omnibus præesse, & prodesse sciat. Deinde legat nomina Patrum, quæ sibi fuerint præsentata per Prouinciales nominibus suarum Prouinciarum. † Præsentati ad gradum Generalatus proponantur secundum ordinem Prouinciarum, quarũ sunt filij, seruato inter illos ordine promotionis ad Magisterium, & proponantur etiam absentes. Et priusquam ad electionem alicuius procedatur, † perlegatur Capitulum de qualitate, & requisitis eligendi. Et nulla exceptio contra Generalem, aut contra Procuratorem Ordinis eligendum admittatur, nisi causa per tres menses introducta fuerit coram Ordinis Protectore (si adsit) vel coram Sede Apostolica, aut nisi exceptionum probationes ità in promptu sint, vt per Definitores Generales causa intra vnũ diem terminari possit. Id ipsum in Capitulo Prouinciali fiat circa exceptiones contra Prouinciales eligendos in dicto Capitulo coram Generali, vel eius Vicario, & etiam contra Priores pariter in dicto Capitulo eligendos coram Prouinciali. † Nominati autem per Prouincias recusare, ne in Generales eligantur, non possint; Sed Patres Capituli teneantur omnes nominatos (contra quos non fuerit legitimè exceptum) proponere secretis suffragijs eligẽdos. Igitur vnoquoquè proposito, ille qui plura vota supra medietatem totius Capituli obtinuerit, sit Generalis, ac publicetur à primo Definitore, quot votorum fauore fuerit electus. † Quod si absens electus fuerit, primus Definitor teneat locum, & officium, vsq; ad aduentum electi. † Illeq; vocatus primũ publicè in eodem Capitulo Generali faciat fidei Catholicæ professionem iuxta formulam à S. Sede Apostolica traditam in manibus eiusdem primi Definitoris. Deinde etiam specialiter (iuxta ordinatio-

nem fel. rec. Clem. Papæ VI.) corporale ad Sancta Dei Euangelia præstet iuramentum, quod fidelis erit S. Romanæ Ecclesiæ, Sanctiss. D. N. PP. eiusque successoribus Canonicè intrantibus, quòdque in prouisionibus, promotionibus, confirmationibus, repulsionibus, destitutionibus, & maioribus correctionibus faciendis, sine acceptione personarum, secundum Deum, & rectam conscientiam suam, & B. August. Regulam, & Ordinis Cōstitutiones, ac laudabiles consuetudines illis non aduersas, benè, & sollicitè se habebit, & suū Officium fidelitèr exercebit. Et per hanc solam electionem ità Canonicè factam Prior Generalis sic electus intelligatur cōfirmatus, ac pro cōfirmato à Sede Apost. habeatur. Illiq; mox primus Definitor Sigillū, & librum Cōstitutionum consignare teneatur, & eum in primum locum ponere, illiquè per manus osculum obedientiam præstare. Quo facto singuli similiter per manus osculum eidem obediētiam præstabunt. Deinde cantetur Hymnus. Te Deum laudamus, & ad Ecclesiam procedant omnes, Deo gratias agentes. Cumque in Ecclesiam peruenerint, finito Hymno. Te Deum, Cantores dicant. Ora pro nobis Sācta Dei genitrix. Orationesque ab eodem Generali dicantur de B. Virg. de S. August. & B. Philippo. Et Generalis intimet omnibus vocalibus sub pœna priuationis vtriusque vocis per sexennium, vt nullus discedat à Capitulo intra tres dies à crastino computandos, quibus diebus hæc fient. Congregatis nouo Generali, & Definitoribus, is, qui antea fuit Generalis coram eis suæ administrationis, tàm publicæ, quàm priuatæ rationem reddat: ac illis det originalia acta Visitationis, processus factos, ac sententias per se latas, quæ deinde seruentur

in

in Generali Archiuio Religionis in Monast. S. Marcelli (vt præmittitur) cõstruendo. Audiant deinde Definitores præsente Generali (si adesse voluerit) causas, si quæ fuerint inter Prouincias, Conuentus, vel personas particulares. Considerent etiã, si quæ ob causas emergentes occurrant de nouo cõstituenda, aut in Constitutionibus declaranda, vt ea referre possint ad præsens Capitulum Generale. Tandemq; simul cum Generali procedant ad promotionem Magistrorum, prout statutum est in Cap. 14. Et hæc omnia tum die electionis Generalis, tum duobus sequentibus posterioribus absoluantur. Tertio autem die iterum per Priorem Generalem Capitulum congregetur, eiquè proponantur, quæ Definitores iudicauerint esse pro bono Religionis de nouo constituẽda, aut in Cõstitutionibus obscura declaranda. Et quod maiori parte Capituli per secreta suffragia videbitur, id constitutum, & declaratum habeatur. Tandem procedatur ad electionem Procuratoris Ordinis, propositis ijs, qui per Prouinciales nomine Prouinciarum suarum fuerint præsentati. † Proponantur item (etiam absentes) eodem ordine quo supra. ‡ Eisque omnibus secundum ordinem Prouinciarum nominatis ad electionem per secreta suffragia (nemine ex propositis, contra quos non fuerit legitima exceptio, recusare valente) procedatur. Et ille, qui supra medietatem omnium vocalium plura vota obtinuerit, electus sit Procurator Ordinis in Romana Curia. Isque primum iuret in manibus Generalis se fidelitèr acturum omnia, quæ ad eius officium spectare Constitutiones decernunt; Deinde signo Crucis facto à Generali cõfirmetur, fiatq; ei per manus publici Notarij Procuratoriũ mandatum. † Si verò absens

quis

quis electus fuerit Procurator Generalis, & etiam Generalis electus abfuerit, primus Definitor aliquē vsque ad aduentum electi pro executione officij constituat; itaut (etiamsi vocales decesserint ante accessum electi) mandatum procuratorium (quod etiam eodem absente in tali casu fieri debet, aut saltem in manibus publici Notarij præstari ipsorum vocalium consensus ad idem mandatum suo tempore conficiendum) vim habere intelligitur. † Expletis tandem omnibus, quæ ad Capitulū Generale spectant, cantetur Hymnus. Te Deum laudamus; & ad Ecclesiam procedatur. Quo completo, fiat confessio, & communis absolutio per Priorem Generalem. Iniunganturq; singulis Sacerdotibus Missæ tres. Prima de Spiritu Sancto pro felici statu, & conseruatione SS. D. N. Papæ, & S. Romanæ Ecclesiæ. Secunda de S. Maria semper Virgine pro Religionis incremento. Tertia pro Fratribus, & benefactoribus defunctis. Et benedictione accepta à Generali, omnes quā primùm redeant ad propria.

De Constitutionibus. Cap. XXXXIII.


DEcernimus, † quod decreta quæcumquè hactenus in nostra Religione edita, neque in Constitutionibus inserta, abolita, & irrita intelligantur,* idq; nisi, quod præcipitur, aliquid ad Dei, Ecclesiæquè præcepta, vel ad trium votorum obseruantiam spectans contineat. Quia etiam non vbiquè apposita est transgressoribus pœna, illam teneantur Superiores pro modo culpæ irrogare. † Cæterum Cōstitutiones hæ nullo

lo

lo vnquam tempore mutentur; sed eis permanentibus immotis (si casus occurrerit, propter quem noua aliqua statuta facere oporteat) possit Capitulum Generale nouas Constitutiones (quæ tamen Sacris Canonibus, & Sacri Tridentini, ac aliorum Generalium Conciliorum decretis, atque alijs Apostolicis, & præsentibus Constitutionibus non aduersentur) condere, & promulgare, quæ statim, cum in Capitulo Generali fuerint promulgatæ, vim habere intelligantur, hisquè præsentibus adscribantur. Generalis verò ipse Constitutiones totam Religionem, vel illius statum concernentes nullatenus condere possit: Verum cum Prouinciali, & Socio edere, aut abrogare valeat statuta aliqua particularia ad totam Prouinciam, aut ad aliquem eius Conuentum spectantia, quæ edita vim habere intelligantur, donec per eosdemmet, aut per successores fuerint reuocatæ. Si verò dubitatio aliqua super Constitutionum declaratione exorta fuerit, referatur ad Capitulum Generale, cuius declaratio in calce præsentium Constitutionum conscribatur, & omninò seruetur. Interim tamen vsquè ad Capitulū Generale declarationi Prioris Generalis stare cogantur. Per has autem Constitutiones, siue per earum declarationes faciēdas, aut per Constitutiones à Capitulis Generalibus condendas nihil vnquam derogatum intelligatur priuilegijs, & Capitulis Conuentui Beatæ Mariæ Annunciatæ de Florentia illius regimen cōcernentibus, per Reuer. Patrem Magistrum Iacobum de Florentia nostri Ordinis Generalem concessis, ac à Sanctiss. D. N. D. Greg. PP. XIII. per similes eius litteras in forma breuis, sub datum Romæ apud Sanctum Petrum die 22. Nouembris 1578. Pontificatus sui anno septimo

con-

confirmatis. Nequè Instrumento concordiæ, & transactionis initæ cum Fratribus Prouinciarum Venetæ, & Mantuanæ, & in eo contentis conuentionibus, & Capitulis statum earumdem Prouinciarum similiter concernentibus, & ab eodem SS. D. N. Papa D. Greg. XIII. per similes eius litteras in forma Breuis, sub datum Romæ die 20. Aprilis 1574. Pontificatus sui anno secundo paritèr cōfirmatis; sed illa omnia sint salua, & reseruata, ac integra, & illibata permaneant.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

B 1

INDEX

Cônstitut. Fratrum Ordinis Seruorum B. Mariæ Virg.

Quan-

Clau-

Con-

Extra

Incu-

INDEX.

Quo-

O.

Admi-

Per-

Proc.

Ratio.

Romam

Stu-

Vesti-

REGISTRVM.

a b c d e A B C D ✠ E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa.

Omnes sunt Duerniones, except. ✠ quæ est semifol.

FINE

A. PANDIMIGLIO
RESTAURO
DI
LIBRI - ROMA